
Accessions 114177

Shelf No. D.158.5



BEQUEATHED BY

George Ticknor.

Recd. Apr. 26th 1871.

A 4.

Ortega was the well-known Spanish Botanist who is said in the Biographie Universelle (Tom. XXXII. p. 179) to have died in 1807. But p. ~~112~~ 113 of this volume shows that he certainly was alive in 1817, & this copy of his Latin poems, printed in that year, was given by him to Don Juan Lopez, as appears by the autograph memorandum below, which was attached to it, when I received it from O. Rich,

Al Sr. Dn. Juan Lopez b. l. m.
Dn. Casimiro Gomez Ortega.

How all this is to be reconciled with the statement in Colmeiro La Botanica &c. Madrid 1858, p. 183, who says Ortega died in 1761, I do not know

CASIMIRI GOMEZII ORTEGAE

CARMINUM

LIBRI QUATUOR

CUM NONNULLORUM INTERPRETATIONE HISPANICA.

ACCEDIT LIBER V,

INSCRIPTIONES CONTINENS.

MATRITI:
APUD JOSEPHUM COLLADO.
ANNO MDCCCXVII.

D. 158
5
114177
G. T.

CARMINUM

LIBER PRIMUS,

A CAROLO III. É REGNO NEAPOLITANO

IN HISPANIARUM IMPERIUM EVECTO.

De CAROLO III. dum ex Italia in Hispaniam solveret,

EPIGRAMMA.

Hispanas CAROLUS, dum Rex migraret ad oras,
Flevit, et irata est invida Parthenope.
Macti animo estote, Hispani; nam plurima vobis
Parthenopes lacrymæ gaudia suppeditant.

In ejusdem CAROLI REGIS Matritum adventu

EPIGRAMMA.

Qui sat Partenopen bello, sat pace beasti,
  Patria, REX, tandem regna beare veni.
Tu validos terrâque, marique tuebere Iberos,
  Compositos placida tu ditione reges.
Quod si etiam doctas Phœbi exornare sorores,
  Vatibus et facili numine adesse velis;
Tunc tua pro meritis qui dicant *arma*, *virumque*,
  Plures nostra feret Mantua Virgilios.

Joanni *de Iriarte*, Fautori suo, *Bibliothecæ Græcæ* exemplar typis recens editum mittenti, Auctor gratias agit.

EPIGRAMMA.

Quis te illustrantem græca exemplaria, græcos
  Reddentem Hispanis, Ausoniisque modos?
Quis te oratorem, criticum, vatemque biformem
  In cœlum merita laude, *Iriarte*, feret?
Bibliothecæ Auctor veteris clarissime! laudes
  Altera vix capiat bibliotheca tuas.

CAROLO III. REGI

Carolum Clementem, Asturum Principem filium, recens susceptum, gratulatur.

EPIGRAMMA.

Regali arridet soboli Regalis et Hortus (*);
  Lætiùs hîc arbos, lætiús herba viret.
Quin etiam Aönides Pindo venêre relicto,
  Sicque tuas laudes, CAROLE, concelebrant:
„Et pietas, et sancta fides, gratissima Divis,
  „AUGUSTUM dignâ prole hilaravit AVUM.
„Nam cúm jungit equos, et eos cùm condit in undas,
  „Omnia Sol lustrat, quæ fovet alma Parens;
„Respicit omne genus vólucrum, genus omne metallûm,
  „Plantarum atque hominum respicit omne genus;
„Totque inter Naturæ opera et spectacula rerum,
  „CAROLE, te majus nil videt, aut melius.

TRADUCCION.

Nuevo verdor al Real Infante ofrece
  El Real Jardin; y el árbol mas pomposo,
  Mas lozana la yerba en él florece.
Las Musas dejan su Helicón frondoso,
  Y aquí las glorias del EXCELSO AVUELO
  Sin cesar canta el Coro harmonioso:

(*) *Hortus Botanicus*, in cujus Professorum locum fuerat Auctor suffectus.

„A la piedad de CARLOS premia el Cielo,
„Y á su fe, quando en este Descendiente
„Colmarle quiere del mayor consuelo.
„Pues desde que el Sol parte del oriente
„Hasta que el mar sus ruedas ha bañado,
„Ve quanto ciñe diáfano el ambiente;
„Vé el metal rico, el pájaro pintado,
„Del reyno Vegetal la série entera,
„Y del hombre el linage dilatado;
„Y entre tantos prodigios que se esmera
„En ostentar la gran Naturaleza,
„Nada vé el Sol, SEÑOR, en su carrera,
„Que en bondad os compíta ó en grandeza.

De eodem argumento.

EPIGRAMMA II.

Oscula libabat Regali Hispania proli,
Et complexa sinu talia voce refert:
„Salve, parve puer: spes ó fidissima Iberûm!
„Ecquid non posthac, te auspice, speret Iber?
„Namque tot heroës, queis paruit orbis uterque,
„Cùm jam Borbonio sanguine se extulerint;
„Tu, cui Borbonius Pater, et pulcherrima Mater
„Borbonia est, (nempe hos me duce junxit Amor),
„Borbonios eris ante alios præstantior omnes:
„Nemo parem se armis, paceve nemo geret.
Juppiter huic contra: „*Fierine id posse putasti?*
„*Illum supra homines Juppiter ire veto.*
„*Spe referat Patrem, et (satis id mortalibus esto)*
„*AUGUSTUM gestis rebus adæquet AVUM.*

TRADUCCION.

Al INFANTE bañada en alegria
  Besaba España el rostro placentero;
  Y abrazándole tierna así decia:
»Firme esperanza del Imperio Ibero,
  »Hoy que el Cielo tu influjo ha concedido
  »A la tierra ¡qué dichas ver no espero!
»Pues entre tantos Héroes que han regido
  »Los dos Orbes con diestra victoriosa,
  »Y á la Borbonia Estirpe hemos debido;
»Tú, cuyo Padre y cuya Madre hermosa
  »Son Borbones, Borbones que ha enlazado
  »Amor por mí en coyunda deliciosa,
»Serás sobre los tuyos ensalzado,
  »Ni habrá en guerra ó en paz quien se prefiera,
  »Ni igualarse merezca á tu alto grado.
Mas Jove la replica: *No tolera*
  Mi Magestad que por tu ruego injusto
  Exceda el Niño de la humana esfera.
Las esperanzas de su Padre es justo
  Renueve: Sus hazañas sean iguales
  A las hazañas de su AVUELO AUGUSTO.
En vano á mas aspiran los Mortales.

Ad Emmanuelem *Pingarronum*, *Portulani* salutatiferas aquas compotantem,

EPIGRAMMA.

Quæ *Pingarrono*, vix me sperante, salutem,
Portulaneses, restituistis, Aquæ:
Tam dulci, et docto servato lætus, amico
Quænam ego pro tanto munere vota feram?
Fonte sitim haud alio extinguam, dum vita manebit,
Et pleno ore, licèt non sitiente, bibam.
Et Baccho referam: qui vestras protinus undas
Manchaico Bacchus præferat ipse mero.

Joannem *Casamajorem*, Jurisconsultum, et Hieronymum *Capmagnium*, convictores invisens, salutat.

EPIGRAMMA.

Plaudite io! socii, redeunt Saturnia Regna:
Junguntur strenui militis arma Togæ.
Cum *Casamajori* degit *Capmagnius*, esto:
Doctus cum docto Judice miles agit.
Nam, quos disjungunt discordia munera amicos,
Hos studia, hos mores, hos copulavit amor.

De Josepho *Parés Franqués*, præstanti ad *Almadenenses* argenti vivi fodinas Medico,

EPIGRAMMA.

Cúm nuper legeret perdocti scripta *Paresi*,
Qualia vel Græci, Roma vel ediderit;
Præstantem vim doctrinæ, atque Auctoris acumen
Miratus Fabius, talia voce refert:
Mercurio, atque ipso inventa est pretiosior auro
Ad versus, Joseph, dum tibi vena fluit.

Martini *Sarmienti*, Monachi Benedictini, effigiei marmoreæ, quæ in R. Historiæ Academia asservatur, insculpendum

EPIGRAMMA.

Hic quæcumquæ hominem fas est cognoscere, novit:
Huic Natura suas sponte reclusit opes.
Hic sibi despectus, reliquis spectatus, id unum
Utilior studuit civibus esse suis.
Sic cælo, et terris gratus, nomenque, decusque
Non Docti tantum, sed Sapientis habet.

De placidissimo Henrici *Florezii*, ex Augustinorum ordine, obitu

EPIGRAMMA.

Nec sævo abscindi ferro, aut languescere Florem
Cultum à Divino par erat Agricolâ.
Hunc adeo legit ipse manu, et cœlestibus hortis
Inserit, Agricolæ delicias Domini.
Illuc translatus, Divumque, hominumque satorem
Non solum oblectat, Cœlicolasque suos:
Sed fructùs doctrinæ edit, mirabile dictu!
Non intermisso munere terricolis.

Ad Lectorem de iteratis *Historiæ Clavis* Editionibus

EPIGRAMMA.

Si cupis Historiæ quosvis lustrare recessus;
Henricus Clavem tradit, Avite, tibi.
Accipe: quo magis attrita est, versataque, ab ipso
Usu splendentem plus radiare vides.

Ad Philippum *Garcia Samaniego*, in Imper. Collegii Gymnasiorum Præfecti locum suffecto, de constituto linguæ vernaculæ magisterio

EPIGRAMMA.

Hispanæ linguæ eloquium, præcepta, lepores,
 Et vim, qui primus prælegat, esse jubes.
Macte, Philippe, animo; non parva, indignave tanto
 Præmia consilio, *Samaniegue*, feres.
Utilitas inde Hesperiam quàm magna sequetur,
 Tam te debebit gloria magna sequi.

Ad eundem

EPIGRAMMA.

An latios jactare aliquos Hispana Poetas
 Regna queant, modo me, docte Philippe, rogas.
Dumque per Hesperiam latè circum omnia lustro,
 Et quotquot novi, mente revolvo Viros;
Nemo subit dignus vates numerarier inter,
 Qui valeat Carolum dicere, nemo subit.
Præmia sint tamen; haud deerunt, *Samaniegue*, Poetæ,
 Certabitque brevi Mantua nostra Italæ.

De constitutis Poetices, et Rethorices Matriti Magisteriis.

EPIGRAMMA.

Res gestæ CAROLI mortali haud ore canendæ:
  Esse tamen Vates, Rex jubet, et Rethoras.
Nempe omnes sperat tales se Rege futuros,
  Materiam ut laudum præbeat omnis Iber.

Ad Josephum *Cadalsum*, tragædiæ *Sancho Garcia*, quæ acta est Matriti in ARANDÆ Comitis ædibus, Auctorem de Bavii suspectâ fide

EPIGRAMMA.

Qui Bavius tecum me nunc committere tentat,
  Nec me, nec tua amat, sed placet ipse sibi.
Et bellum, rixasque bonos serit inter amicos,
  Rideat ut nostro, blande *Cadalse*, malo.
¿Tune ex illo artes alias nebulone requiras,
  Artes qui nunquam noverit ingenuas?
Larvatas igitur Bavii tu despice laudes,
  Improba tu Bavii jurgia despicito.
Quo res Hispanæ tolluntur ad astra, cothurno
  Calcari Bavius non tibi dignus erit.

In Joannis *Iriarte* Grammatices editionem posthumam

EPIGRAMMA.

Hic licèt et Græcè doctus, doctusque Latinè,
  Et Musis charus, Jane *Iriarte*, jaces.
Librorum custos, librorumque optimus auctor:
  Bibliothecæ instar namque loquentis eras.
Nil tibi mors rapuit: vivunt, tua cura, Nepotes;
  Doctrina, ingenio, ut nomine te referunt.
Cantasti moriens Linguæ præcepta Latinæ:
  Dulciùs, heu! moriens sic quoque cantat olor.

Bibliopola ad Fabium, J. *Iriarti* opera posthuma emere cupientem.

EPIGRAMMA.

Cur præter morem hand prostent *Iriartina*, quæris,
  Ære licet magno Scripta paranda tibi?
Scripta, quibus docti tot subscripsère volentes,
  Nullius indigeant Bibliopolæ operâ.
Tu si ea vis, claros accede ex Fratre Nepotes:
  Munere, non pretio, si lubet, illa dabunt.
Quin si haud scis, opus esse omni pretiosius auro;
  Doctis, eja, Auctor, non tibi, scripsit: abi.

De Emmanuele *Roda*, in Collegii Imper. Gymnasiis Studiosorum litteraria certamina spectante,

EPIGRAMMA.

Macti animo, Juvenes, *Roda* jam vos audiit: Euge!
Ingenuas Artes, quas fovet, ipse colit.
Rarus honos! Doctos tanto à Fautore tueri!
Rarior à tanto Judice posse legi!

Ad ejusdem clar. viri diem natalem celebrandum invitat *Bajerum*, Musas, Gratias, Apollinem, et Magisterii Poetices Competitores.

ODE.

En dies multo celebranda thure,
Lesbio et plectro, redit: hæc precanti
Gaudium Mundo redeuntis anni
Læta reducit.
Te novem primum tulit hæc, Sororum
Inter amplexus, Roda, vagientem:
Hæc tulit genti decus, hæc camœnis
Dulce levamen.
Alterum Pindi columen, *Bajere*,
Cui fores acti reserantur ævi,
Candidam cui sors animam dedisse, et
Pene vetustam,

Fertur, ò dexter venias vocatus;
Et choro mixtæ Aönidum solutis
Gratiæ zonis veniant, nec almus
Absit Apollo.

Vosque jam Phœbo, Juvenes, amica,
Et Rodæ pubes, viridis corollæ
Competitores, meritâ hùc adeste
Fronde decóri.

Non usitatum melos est canendum,
Et Roda dignum; properate; hic idem
Præmium vobis referet laborum,
Materiemque.

Ridet haud auro domus, apparatus
Exteros odi, vigiles lucernas
Non amem in lucem, nec acerba Gallûm
Vina bibentur.

Sed leves ducent Charites choreas,
Personent Phœbus citharâ, et Sorores,
Cæteri dignum Roda quid canemus,
Te, Roda, dignum.

Ad eundem die ejus natali

EPIGRAMMA.

Ecce redit jam fausta dies; mortalibus ægris
Attulit hæc munus te, Roda docte, Dei.
Hanc tunc insueto fulgore Diespiter Orbis
Immensi terras spargere prospiciens,
Non modo principium volvendi hæc, inquiit, anni:
Principium Hssperiæ prosperitatis erit.

Ad eundem

EPIGRAMMA.

Sunt, qui mirantur, solemni Epigrammate lucem
Quod natalem ausim dicere, RODA, tuum;
Scribere nec verear, Phœbo renuente, quotannis
Carmina, tam docto subjicienda viro.
Norunt, quo ingenio valeas tu, scilicet, omnes;
Omnes, judicium quàm sit et acre tibi.
Sed quám me, indulgens, quám comis, quámque benignus
Immeritum foveas, unus ego experior.

AdF ranciscum *Perezium Bajerum* de Verbo *tueri*, quod Auctor passiva significatione in præmisso Epigrammate usurpaverat,

EPIGRAMMA.

Quamvis ipse meum tueatur-Varro *tueri*,
Et Cajus præstet Jureperitus opem:
Tu ad causam, *Bajere*, tamen Patronus utroque
Doctior accedens, me tueare, velim.
Aut RODA id emendet. Quantum ah! tunc illa niterent
Carmina ab illustri nostra polita manu!

Francisci *Perezii Bajeri* ad Casimirum Gomezium Ortegam de promiscua *verbi tueor* usurpatione

EPIGRAMMA.

Nil opus est Varrone, tuum ut tueare *tueri*
  Passivo in sensu, siquid ego video.
Nil opus est Caio, aut alio sponsore, sed ipsum,
  Se satis hoc verbum, quo tueatur, habet.
Tutor perpetuó activum est, tueor tamen anceps.
  Passivi interdum fungitur officio;
Proque usu, ingenio, et fortasse libidine nunc has,
  Nunc illas patiens fertque, refertque vices.
Suppeditant etiam non rara exempla Poetæ,
  Pelignus, Flaccus, Virgiliusque Maro.
Cur igitur quasi pollueris Latium, tibi dicta
  Sit, Casimire, dies, plané ego non capio.
Sed neque te hoc tutum credas fore: consule Rodam,
  Qui tibi pro multis millibus unus erit.
Varrone hic, Caio, Latioque latinior ipso,
  Judice me, Ausonii est arbiter eloquii.
Tu tamen interea scriptis, Casimire, tueri,
  Quod facis. egregiis perge decus Patrium.
Hæc tua cura dehinc, ea mens, ea sola voluptas,
  Hæc tibi amanda quies, hoc opus, hic labor est.
Nêu ναρθηκοφόρους, durum genus, usque morére,
  Ipse tuo at prudens utere judicio.

Petri Roderici *Campomanes*, Historiæ Academiæ Præsidis, imagini, quæ in ejusdem Academiæ ædibus prostat, inscribendum

EPIGRAMMA.

En *Mengsi* expressus *Campomanesius* arte,
Lumen, et Hispanæ Gloria prima togæ;
Præses Academiæ Historiæ dignissimus, ut qui
Digna adeo scripsit, gessit et Historiâ.

De Nicolai *Moratini* Tragœdia *Hormesinda*

EPIGRAMMA.

Haud visa est felix magis *Hormesinda*, *Munuzæ*
Dum vitat structos jam moritura rogos,
Quám dum, materies *Moratini* digna cothurno,
Scenæ ausa est priscum restituiisse decus.

ALIUD.

Euripidem jactet, jactet gens Græca Sophoclem,
Grandiloquo Annæo gaudeat et Latium,
Cornelium Galli jactent: Hispania posthac
Jactabit vatem te, *Moratine*, suum.

De C. Sallustii Crispi Hispana interpretatione, á Ser. Hispan INFANTE GABRIELE elucubratâ,

EPIGRAMMA.

Res facere Historiâ dignas perge, optime Regum,
CAROLE, et Humanum perge beare Genus:
Sospite, non deerit, GABRIELE INFANTE, tuarum
Qui rerum scribat, prout decet, Historiam.

ALIUD.

Postquam Auctor Latius linguâ illustratus Iberâ
INFANTIS melius se videt ore loqui;
Primâ sede lubens cedit, renuitque vocari
"Primus Romanâ Crispus in Historiâ."

ALIUD.

Doctorum Augusto Mecœnas fautor abunde
Commendat Flaccum, Virgiliumque suum.
Vatibus at Cæsar toties celebratus eisdem
Largas pro æterno nomine reddit opes.
Id nec Mecœnas, nec Cæsar fecerit, INFANS
Regius, ò GABRIEL, quod tamen ipse facis:
Vertendo veterum scriptorum extendere famam,
Scriptaque Regali nobilitare manu.

ALIUD.

Eja, novi, et veteres scriptores cedite; Crispi
Nescio quid majus nascitur Historiâ.

ALIUD.

Id fuerat Regum civi dare jura petenti;
INFANTIS nunc fit munere Crispus Iber.

Ad Emmanuelem *Rodam* de eodem argumento

HENDECASYLLABI.

Nunc demum tibi, *Roda*, gratulamur,
Lingua doctus utrâque, utroque doctus
Jure, et Arbiter elegantiarum.
Nunc demum tibi, *Roda*, gratulamur,
Quod tibi Baïerus, unus omne
Ævum, dum lubet, explicare natus,
Opimum Baïerus euge! fructum
Sedulæ capit institutionis;
Nec supercilium severiorum
Senum, aut si est sene quid magis severum,
INFANTIS liber aureus veretur,
Quem Crispus voluisset exarasse,
Quàm suum, potius, gravis, disertus,
Omnibus numeris et absolutus.
Nam quantum est hominum politiorum,
Acris judicii, ingeni subacti,
Legunt, et relegunt, probantque librum,
Quem Crispus voluisset exarasse,
Quàm suum, potius, gravem, disertum,
Omnibus numeris et absolutum.

De Laudibus CAROLI III. REGIS

TENTAMEN POETICUM.

Ille ego, qui nuper Fernandi tristia Regis
Funera (1), et *Hesperiæ* luctum, lacrymasque meorum
Cantabam querulâ carmen modulatus avenâ;
Nunc Caroli laudes, nova nunc evolvere fata
Lætior aggrediar Vates: tu dia precantem
Musa doce, tuque ô! pulchris, Rex, annue cœptis.
Vix dum Borbonides primos exegerat annos,
Regia progenies, magni vestigia Patris
Cùm premere, atque acie visus clarescere mirâ,
Iam tum spectandus populo; faustumque futuri
Auspicium cepêre urbes: nam vivida virtus,
Alma fides, et forma decens, moresque benigni,
Majestas, amor in Patriam, et mens ardua Regem
Spondebant pace insignem, belloque potentem.
Nascentique licèt sceptrum fortuna negasset
Invida, Borbonidæ tamen ingens dextera, et armis
Egregium robur peperit, subjectaque forti
Regna ense, et priscis titulis cessisse coacta.
Haud ignota cano: quis enim vel nesciat arcem
Cajetæ, aut claros hostili cæde *Bituntos*?
Messanam, et *Capuam* domitas, cunctamque receptam
Trinacriam? Sic Borbonides duo maxima Victor
Transgreditur, subigitque brevi certamine Regna.
Ceu quondam torrens pluviis hyemalibus auctus,
Infensus pecori, et sylvis, de montibus altis
Præcipitat, tumidoque ruens rapit omnia cursu:
Desiliunt ripæ, jamque omnis campus inundat:
Haud aliter Carolus dum sese effundit in agros

(1) Elegia scilicet Bononiæ edita anno 1759.

Ausonios, mox cuncta tenet, latèque vagatur.
Olli *Parthenope* felix applaudit, et ultro
Externum quamvis dominum complexa, per urbem
Instaurat ludos, vocesque ad sidera tollunt
Victores, victique simul: generosa Juventus
Lætitiâ fremit, et tanto sub Principe gaudet.
Extemplo *Pax* alma redit, positoque furore
Armorum repetit terras *Astræa* relictas,
Et Regem incipiunt reduces celebrare *Camœnæ*
Carminibus, meritâque innectunt tempora lauro.
Ipse unus populum gratâ ditione coërcet,
Aut æquas sancit leges, et jura ministrat,
Aut prærupta vias ducit per viscera montis,
Quà pelago excurrit pulcherrima *Mergilline*:
Aut munit portus, atque ardua mœnia tollit.
Aëriæ surgunt arces: sublime Theatrum
Exstruitur latè, sumptusque ad sidera ducti.
At fessum si quando animum, curisque gravatum
Rex laxat, non desidiam, non otia quærit:
Quin potius, dum figit apros, montesque pererrat,
Aut nemora assiduus, vires exercet, et artus
Venatu obdurat; neque enim præstantior ullus,
Seu libet ignitas in metam emittere glandes,
Sive inflectere equum, rapidove intendere cursu,
Sive opus est *Martis* duros perferre labores.
Nec minus interea pulchras incumbit in artes
Ingeniis dexter. Testis, quam condidit urbem
Alcides, voluitque suo de nomine dictam.
Illic quæ Herculeis monumenta sepulta ruinis,
Neglecta, et cunctis jampridem ignota jacebant,
Nunc primùm Carolus (sub quo felicia Rege
Omnia contingunt) detecta in littore curat
Eruere. Excisi lapides, rupesque cavatæ,
Atque ingens fastis lux est allata vetustis.
Sic leni regere imperio, ac virtute tueri

Noverat, et populos cultu insignire venusto.
Tum verò trepidas iterum improvisa per urbes
Fama ruit, veteres accedere cominùs hostes
Austriacos, tristemque iterum consurgere *Martem.*
Continuò turbati omnes: interritus unus
Stat Rex, et dubias acies in prælia cogit.
Arma ferunt Juvenes, quoscumque aut laudis avitæ,
Aut Ductoris amor Caroli movet: æmula virtus
Accendit Proceres, et Regem in bella sequuntur.
Ipsum inter primos gradientem bæticus acer
Portat equus, qui fræna ferox spumantia mandit.
Haud illi clypeus, mentitave Vatibus arma
Vulcani fabricata manu; sed vivida virtus
Quæ deceat, fidusque ensis comitantur euntem:
Ensis, quem Gnato dederat Pater ipse Philippus,
Virtutis Patriæ monumentum, et pignus amoris.
At postquam campo legio stetit omnis aperto,
Rex acies gestit struere, et lustrare cohortes,
Quæ interea studio ingenti, et clamore secundo
Jam plaudunt, atque arma fremunt, hostique minantur:
Ipse animos acuit stimulis, et pergit in hostem
Igneus, *Hispanis* properans se adjungere turmis.
Collis erat celsus, quem vallibus undique septum
Ornabant vites, summoque in vertice collis
Eminet Urbs (*Volsci* quondam tenuêre) *Velitræ.*
Illuc Borbonides festinat, et aggere facto
Castra locat, tutamque jubet deducere fossam.
Jamque propinquabant adversâ ex parte phalanges,
Martia quas rapido *Germania* misit ab *Istro,*
Et *Transylvanus* spectato robore miles,
*Pannonii*que equites simul, hirsutique *Croati.*
Hos super *Illyrici* venit gens accola Ponti:
Quos omnes bello assuetos, et fortibus ausis
Unus agit pugnæ Dux *Lobcoviczius* ardens.
Interea instantis signum dant classica prælj,

Ignitæque volant glandes, jamque ænea circum
Fulmina sparguntur diris explosa metallis.
Quo sonitu *Triviæ*que palus, et *Aricia* latè,
Et refluo trepidans exhorruit amne *Truentus.*
Jam mixtæ coëunt acies, pereuntque vicissim
Germani, *Hispani*que simul: *Libitina*que cladem
Exercet, sævit mediis *Mars* impius armis.
BORBONIDES nunc agmen obit, nunc impiger urgens
Hortatur socios, et stricto fervidus ense
Irrumpit, quò laudis amor, quò gloria ducit.
Ah! quoties illum pugnantem in turbine belli
Austriacæ fugiunt acies, et signa prementem!
Non illis prosunt fraudes: namque ilicet adsunt
Atriscus, *Gagius*que, ambo *Mavortis* alumni:
Et REX ante alios CAROLUS fortissimus omnes;
Unà ipsi impediunt, et cœpta immania turbant,
Multaque dant passim *Germanica* corpora letho.
Quæ simul atque oculis Dux *Lobcoviczius* hausit,
Et tot perspexit cædes, tot damna suorum,
Nec videt huic tanto se posse obstare furori;
Devictas vocat ingenti clamore phalanges.
Austriaci vertêre Aquilas, et terga dedêre,
Et demum Siulo favit Victoria Regi.
Tempore quo ignivomis plaudens *Vesuvius* antris
Lætitiæ, ut fama est, alacri, crebroque tonitru
Signa dedit, lætas jaculatus ad æthera flammas.
At REX BURBONIDES Romam spolia ampla reportans,
Ingreditur sublimis equo; longo ordine circum
Stant Proceres, fidique Duces, et lecta Juventus.
Romulidæ expleri nequeunt, plausuque sequuntur.
Quin etiam SUMMUS PRÆSUL sese obvius offert
Ingeminans plausum, et CAROLI complexibus hæret;
Turbaque miratur REGEM desueta triumphis,
Scipiadem mirata suum ceu *Roma* vetusta est
Celsa triumphali vectum ad *Capitolia* curru;

Vel quum solemni redimitus fronde solebat
Scandere *Tarpejas* quondam *Germanicus* arces.
At CAROLUM reducem, detruso é finibus hoste,
Parthenope excepit, tanquam si sera rediret
Libertas, Patriæque decus, columenque vocavit.
NUNC verò, REX MAGNE, iterum post publica vota
Carpetana tenet festo te *Mantua* plausu;
Et te digna Parens iterum FARNESIA visit.
Cernis ut optato adventu clamoribus omnis
Urbs resonet? roseisque nitens *Hispania* sertis
Solemnes agitet pompas, et festa parentur?
Salve ergo, spe major ades. Tu scilicet unus
Vividiora feres sacris solatia *Musis*:
Te duce Relligio, leges, probitasque vigebunt,
Ingenuæque artes. Te nunc regnante, quiescet
Prædator Maurus. Tibi mittet *America* merces
Littore ab extremo. Tu dum cultoribus agros
Augebis, pleno manabit Copia cornu.
Tu demum pietate gravem (Dii vota secundent!)
FERNANDUM referes, referes virtute PHILIPPUM.
HÆC me olim (1) *Hesperiæ* monuit prædicere *Phœbus*
Fata docens: tunc Naturæque, Artisque medendi
Florentem studiis me *Felsina* docta tenebat.
Nec DEUS *Hesperios* animos spe lusit inani.
Ab REGE ex illo fuerint quæ tempore gesta,
Sensit *Iber*, CAROLI propriùs jam Numine gaudens.
Quid memorem Regni census, ingensque remissum
Vectigal populis? utque ipso in limine Regni
Jusserit exsolvi *Proavorum* debita Regum?
Montibus æquari valles, et strata viarum,
Dulce viatori, duci spatiosa, levamen?
Quid referam sublimi augusta Palatia tecto,

(1) Nempe anno 1759 paulo post editam Elegiam de obitu FERDINANDI REGIS &c.

Auspiciis opibusque suis perfecta? Quid Ædes
Marmoreas, structasque in publica commoda moles?
Quidve pavimentum è silice atque è marmore ductum:
Queis *Carpetanæ* nitor, et decus additur urbi?
Nec canere aggrediar (quæ sunt notissima famâ)
Ut Rex Europam, miseranda cæde furentem,
Compulerit, quoniam potis est vox nulla tenere,
Parcere compulerit ferro, et revocarit ab armis,
Ceperit *Almediam*, *Mirandam*que insuper altam
Diruerit, pacemque orare coegerit hostem.
Quin se etiam orbe alio victrix jactaret *Havana*,
Ni superi infensi, classem demergere Ponto,
Mentem immisissent lævam ductoribus, atque
Tutos heu! nimium portus occludere suassent.
Nempe hæc prima fuit cunctorum causa malorum,
Quæ quondan audenti fuerat spes una salutis
Cortesio: simul ultro omnes amittere puppes,
Mexicana quibus tetigit vasto æquore vectus
Littora, nostra novum missurus sub juga Mundum.
Nec minus interea *Morri* arcem milite complent
Delecto, atque diu contra stant, hostibus ipsis
Argumentum ingens laudum, *Gonsalvus*, et acer
Velascus, præstanti animo, et præstantibus armis:
Queis virtute duo similes pro mœnibus arcis
Si astarent, numquam cessisset *Havana Britannis*.
Non tamen hæc illis sine multo gloria venit
Sanguine: victores æque sua funera lugent.
  Exosa est nec ubique acies victoria nostras:
Nam *Manila* suum respexit lætior hostem
Obsessum, et pacem versâ jam sorte petentem:
Et *Lusitanis* victricia signa Colonis
Infert ductor Iber, summâque exultat in arce.
Quæ postquam valido Carolus Rex ense subegit;
Tunc demum everso cupiens sucurrere sæclo
Pacatum nutuque suo, et virtutibus orbem

Pace frui jubet, atque æterno fœdere sancit.
Tunc populo et Patribus plaudentibus, optime Aranda,
Cui lauro, et viridi cinguntur tempora olivâ,
Concessa est, ô Aranda Comes, tibi maxima rerum,
Verborumque fides. O! tanto digne Senatu
Præses! ó gentis decus, et laus inclyta Iberæ!
Te duce, sacra *Themis* populo dat jura volenti:
Tu indociles animos, et nescia pectora flecti
Demulces, cultu emollis, et moribus ornas
Ingenuis, ludosque novos, et spectacula præbes,
Sollicitæ inducens tranquilla oblivia vitæ:
Tuque per arboreos xystos, ex mollia Prata
Das populo interdum spatiari, et frigus opacum
Captando oblectare oculos salientibus undis.
Exinde Agricolis, exin jam dignus aratro
Redditus omnis honos: Marianos vomere duros
Exercent alii colles, alii aspera pascunt:
Pars steriles saltus, quondam spelæa ferarum,
Iam modo læta serunt inductis arva colonis.
Pars loca designant tectis; pars parva domorum
Fundamenta locant, pars tarda armenta tuentur.
Adde tot egregios mentisque, operumque labores,
Artificumque manus, necnon commercia toto
Tuta mari, sociumque icto jam fœdere *Maurum*.
Quid? quod nulla oris regio est tam dissita nostris,
Quò non missa brevi reddatur epistola rerum
Nuntia, seu sonipes vehat hanc, seu nautica pinus.
At procul hinc, arctis malesuada in rebus, egestas
Exulat, hospitio mox excipienda benigno.
Hìc domus, hìc victus, recta hìc formatio morum:
Hìc Artes, atque hìc nativa industria gentis
Excolitur: dignos nec præmia parva sequuntur.
Sunt etiam ingenio sua munera, siquis honestum
Imbuit aut pectus doctrinâ, aut instruit arte.
Augustâ en tractanda manu, tria maxima Regna

Naturæ Hispano præbent sese obvia Regi,
Platinam sed enim, spirantis molliùs æris
Materiem, Natura novum fert alma metallum,
Sertaque de plantis peregrinis florea nectit.
Ipse Virûm meriti Carolus non immemor unquam
Sublevat, et viduas censu solatur opimo.
At vero virtutis iter, verumque laborem,
Militiam tolerare, opus atque ediscere *Martis*
Assuescit miles duce Rege, et Rege magistro.....
Vix hæc edideram *Phœbæo* percitus œstro,
Cùm clara *Hesperiæ* visa est venientis imago
Offerre ante oculos sese, et sic deinde locuta:
»Grata tua est pietas, Vates: sed versibus hisce
»Borbonidæ neqeunt complecti ingentia facta.
»Surgent, cùm *Musas* ultro jam foverit ipse,
»Qui Regem, et Regis laudes magno ore sonabunt.
»Nec tunc Imperii Carolus spes altera, quem jam
»Exemplum patriæ stimulat virtutis, abibit
»Indictus, nec quæ hunc faciet Lodoica Parentem,
»Nostri dulcis amor populi, Socerique voluptas
»Grata sui; venietque annis labentibus ætas,
»Cùm Domus hæc Augusta et pace insignis, et armis,
»Borbonidum Domus hæc, Reges complexa Nepotes,
»Proferet imperium, et toti dominabitur Orbi.

ENSAYO POETICO

DEL ELOGIO

DEL REY CARLOS III.

TRADUCCION LIBRE.

Yo aquel, que en otro tiempo de Fernando
Canté la infausta muerte tan sentida (1),
Acompañando el llanto de la *Hesperia*
Con lamentable, y lugubre Elegia;
Yá en metro mas alegre las hazañas
Diré del nuevo Rey: ó tu Divina
Musa esfuerza mi voz, y tú, Gran Carlos,
Del noble intento aprueba la osadia.
Apenas Regio Infante los umbrales
Pisaba Carlos de la edad florida,
Quando ya el fiel Retrato de Filipo
En sus virtudes la Nacion admira.
El valor, el agrado, el Real aspecto,
Y su alta comprension nos prometian
Un excelso Monarca, cuyas sienes
El Laurel adornase con la Oliva.
Y aunque entonces el Cetro le negaba
La fortuna, burló Borbon su envidia:
Dos Reynos al amago de su efuerzo
Fueron trofeo de su diestra invicta.
No canto cosas, que la misma fama
No tenga por el orbe difundidas:
¿Quién no ha escuchado de *Gaeta* el nombre
En vano contra Carlos defendida?

(1) En una Elegia latina publicada en Bolonia en 1759.

O el de *Bitonto*, á quien famosa hicieron
Las destrozadas haces enemigas?
Quien á *Mesina*, y *Capua* no conoce,
Y á su valor rendida la *Sicilia*?
Visteis tal vez un rapido Torrente,
Que hinchado en la lluviosa estacion fria,
Arrebata el ganado, y de los montes
Los mas robustos troncos precipita?
Y no sufriendo margenes, inunda
La espaciosa extension de la Campiña?
Con igual rapidez recorre Carlos,
Y vencedor sojuzga las Provincias.
Napoles yá feliz abre sus puertas
Al nuevo Soberano, y con festiva
Acorde aclamacion al Rey aplauden
Las gentes vencedoras, y vencidas.
Vuelve la *Paz* á hacer dichoso al Reyno,
Vuelve *Astrea* á ocupar su augusta silla;
Astrea, que se habia retirado
Del furor de las armas ofendida.
Las *nueve Hermanas* el honor celebran
De su gran Protector agradecidas,
Empleando en su obsequio, y su alabanza
Los laureles, las voces, y las lyras.
Carlos las riendas de su dulce Imperio
Por sí mismo las rige, no las fia:
Quanto ordena, se debe á su talento,
Quanto acierta, se debe á su pericia:
Yá dicte sábias leyes, yá abra paso
Al caminante en anchurosa via,
Rompiendo el monte, en donde mezcla al golfo
Sus cristales la hermosa *Mergilina*:
Yá el puerto fortifique, y Baluartes
De inmensa mole y duracion erija;
O yá construya algun Teatro augusto,
Que toque al Cielo con su frente altiva.

Mas si tal vez los cargos del Gobierno
Permiten corto alivio á sus fatigas,
No alterna el ocio: en su lugar sucede
La Caza, de la guerra imagen viva.
En ella su valor y tolerancia,
Por los montes y selvas ejercita,
Endureciendo los robustos miembros
En Campaña inocente y divertida.
Ni gloriarse tan diestro podrá alguno,
Que en asestar al blanco le compita,
Ni en fatigar el Alazan fogoso,
Mas docil al ginete, que á la brida.
Ni es menor el desvelo, con que Carlos
A proteger las Ciencias se dedica:
Dígalo la Ciudad, que fundó *Alcides*,
Y de su mismo nombre se apellida,
Las *Memorias Herculeas* sepultadas
Aun mas en el olvido, que en sus ruinas,
Hasta que Carlos (á quien nuevos Reynos
La tierra en sus entrañas ofrecia)
Halló, su obscuro seno registrando,
Preciosos restos de la Edad antigua,
Que con grandes cuidados, y dispendios
Conserva á las edades sucesivas.
Asi el Rey procuraba vigilante
Aumentar de sus Subditos las dichas,
Logrando de la paz en el regazo
Los mas gloriosos, y felices dias;
Quando otra vez resuena de improviso
La Caja, y el Clarin en las Provincias,
Que anuncian con estruendos militares
Del antiguo enemigo la venida.
Túrbanse todos: solo el Rey conserva
La superior serenidad nativa,
La qual con el exemplo poco á poco
A su ejercito Real se comunica.

Alístase la flor de la Nobleza:
A unos mueve la estirpe esclarecida:
A otros del Rey la fama, á otros no ménos
Mueve la emulacion á que le sigan.
Marcha á la frente el mismo Soberano,
Que se presenta en las primeras filas
Sobre un fiero Bridon, hijo del *Betis*,
Que inquieto tasca la espumosa brida.
No arman al Rey el peto, ni el escudo,
Que fueron de *Vulcano* obra mentida:
Fíase en su valor, y fuerte brazo,
Y en su Espada invencible, y fiel se fia:
La Espada, que Filipo el animoso
Le ciñó al hijo en su postrer partida,
Para memoria del paterno esfuerzo,
Y en prendas del amor, que le tenia.
Formadas yá las Tropas en el Campo,
Corre el Caudillo invicto las dos lineas:
Y el Soldado le pide con denuedo,
Que á la contraria hueste le dirija.
Carlos aprueba el zelo de los suyos,
(La aprobacion aun mas su ardor aviva)
Y apresura las marchas para unirse
Con las Tropas de *Gages* conducidas.
Hay un Collado, al que contiguos Valles
Aumentan la vistosa perspectiva,
Adornando el declive de sus faldas
Las bien dispuestas y frondosas Viñas.
Mansion en otro tiempo de los *Volscos*,
Veletri en su alta cumbre se registra:
En ella el Gran Borbon sienta los Reales,
Que con arte, y presteza fortifica.
A este tiempo llegaban yá las Huestes,
Que sustentó el *Danubio* en sus orillas,
Ya el *Transilvano*, el *Húngaro* y *Croato*
De lejos con horror se descubrian

Cerrando el esquadron los *Esclavones*:
Gente toda esforzada y aguerrida,
Que *Lobcoviz* comanda, y al combate
Con la voz y el exemplo los anima.
Dan las trompetas la señal: las balas
Con horroroso estruendo despedidas,
Difundiendo el terror y el desaliento,
Atruenan toda la region vecina.
Es fama que tembló la *Aricia* al eco,
Y que en su lago se estremeció *Trivia*,
Y que atónito el *Tronto* su corriente
La mantuvo algun tiempo suspendida.
Empéñase el combate: los contrarios
Y los nuestros perecen á porfia:
La mortandad complace al impio *Marte*,
Que sangriento discurre por las filas.
El Rey recorre el campo: al mas cobarde
Su voz alienta, al esforzado anima;
Y blandiendo el acero, allá acomete,
A donde el brio y el honor le guian.
Ah! quántas veces, quántas los *Tudescos*
Cedieron á su heróica valentía,
Abandonando al brazo irresistible
Del vencedor sus bélicas insignias.
Ni aprovechan astucias, ni sorpresas,
Donde está Carlos, cuya diestra activa
Al mayor riesgo acude, acompañado
De *Atrisco*, y *Gages*, que en valor le imitan.
Basta de estos Caudillos el denuedo
A frustrar del contrario la osadía,
Y huyen escarmentados, los que antes
Vencedores de Carlos se creian.
Lobcoviz el destrozo advierte airado
De los que al Rey en vano resistian,
Y al fin de indignacion lleno, los restos
De su infeliz Exército retira.

A los *Leones Españoles* ceden
Las *Imperiales Aguilas* altivas,
Y reconoce *Europa* la victoria
Del Monarca glorioso de *Sicilia.*
En este tiempo, dicen que el *Vesuvio*
Muestras dió señaladas de alegría,
Entre sonoros truenos arrojando
Globos de fuego, que innocentes brillan.
Pero Carlos cargado de despojos
A Roma ya triunfante se encamina,
Formando la Grandeza y Generales,
Con la Nobleza fiel su Comitiva.
Sale á su encuentro el Sumo Sacerdote,
Y entre abrazos y lágrimas le explica
Su parabien, mientras absorto el Pueblo
Renovado el honor del triunfo admira;
Como admiró á *Escipion* en otro tiempo,
Subiendo al *Capitolio*, *Roma* antigua,
O en el *Tarpeyo Alcazar* vió de lauro
Las sienes de *Germánico* ceñidas.
Recibe luego *Nápoles* á Carlos
Con mil aplausos, con inmensos vivas,
Aclamandole *Padre de la Patria*,
Su consuelo, su apoyo, y sus delicias.
Pero hoy, Señor, *Madrid* aun mas dichoso
Logra todas sus ansias ver cumplidas,
Si el Cetro admites, que Isabel te ofrece,
De tan glorioso hijo *Madre* digna.
¿No oyes ya de tus fieles *Españoles*
El júbilo, y las voces expresivas?
No ves que en espectáculos *España*
De recobrarte el gozo testifica?
Vive Gran Rey, y véate tu Pueblo
Aventajarte á la esperanza misma:
A tu benigna sombra hallen las *Musas*,
Las *Leyes* y las *Artes* acogida.

Solicíte la paz y tu alianza
El Pirata del *Africa* vecina,
Tributándote *América* sus Flotas
Cargadas de riquezas peregrinas.
Y al paso que tu sabia Providencia
La Poblacion protegerá propicia,
Reynará ya contigo la *Abundancia*
Coronada de frutos y de espigas.
España en fin no en vano ver espera
En tu Augusta Persona competidas,
Si en la paz las virtudes de Fernando,
Las glorias de Filipo en la Milicia.
Tan grandes dichas me mandó, que á *España*
Vaticinase, el Numen que hoy me inspira,
De las disposiciones de los hados
Corriendo el velo á la ignorancia mia.
Yo en aquel tiempo (1) Joven aún cursaba
Las aulas de *Bolonia* la erudíta,
Siendo el *mas* dulce objeto de mi estudio
La *Natural Historia y Medicina*.
Desde entonces feliz *España* ha visto
Cumplido el vaticinio de sus dichas;
Obrando ya de Carlos la influencia
Por mucho mas cercana, mas benigna.
No recordar intento los tributos (2),
Que perdonó piadoso á las Provincias,
Ni el pago del caudal (3), con que el sagrado
Crédito Nacional se vivifica.
Ni hablaré de los públicos caminos (4),
Que sorprendido el caminante pisa,
Viendo montes y valles igualados
Para alivio y solaz de su fatiga.

(1) En el año de 1759.
(2) Perdon de tributos.
(3 Paga de atrasos á los acreedores de la Corona.
(4) Construccion de los caminos que conducen á los Sitios Reales, y á las Capitales de las Provincias.

Dejo esa inmensa mole del Palacio (1)
A sus Reales expensas concluida,
Y dejo esos soberbios Edificios (2),
Que a la comun utilidad destina.
¿Que diré de *Madrid*, y del contento,
Con que esta ya de Carlos mansion digna,
Su aseo, en vano de otros intentado,
Y conseguida su limpieza admira?
Ni cantaré lo que por todo el Orbe
Cuidó de divulgar la Fama misma,
Quando el Rey sosegó el furor de *Europa*
Contra su misma sangre enfurecida;
Rindiendo á *Almeida* y á *Miranda* en prendas
De una gloriosa paz apetecida,
Ya que el consejo, ni la voz bastaban
A reprimir sus belicosas iras.
Ni tú, *Havana*, lloráras tal desgracia;
Si la suerte, envidiosa de estas dichas,
No te hubiese inspirado el sacrificio
De sumergir tu propia Esquadra invicta.
Esta resolucion, que en otro tiempo
Hizo tan memorable la osadía
Del gran Conquistador de Nueva España,
La causa entonces fué de tu ruina.
Mas ya del alto *Morro* las almenas
Coronan de Española Infantería
González y *Velasco*, que animosos
En esfuerzo, y ardor se competían.
Estos se oponen al furor contrario,
Y éstos no en vano á la victoria aspiran;
Si acudiera del *Morro* á la defensa
Quien emulase su constancia activa.
Pero ceden al fin (no sin horrible
Mortandad de las huestes enemigas)

(1) El nuevo Real Palacio.
(2) Las Casas de Correos y Aduana.

A la Fortuna infiel, que en otras partes
Estos daños compensa mas propicia.
Pues, trocada la suerte de las armas,
Sitiado al sitiador vé ya *Manila* (1);
Y el *Lusitano* el Real Pendon de *España*
Ya tremolando en su *Colonia* admira (2).
Entonces satisfecho el Regio zelo
Del generoso Carlos pacifica
Al Mundo, y con gloriosas alianzas
De eterna duracion la paz confirma.
Y entonces con aplausos inmortales
La dignidad mas alta se confia (3)
Al Conde excelso, cuyas sienes ciñe
Doble guirnalda de laurel y oliva.
A tí, ó Aranda! lustre de la *Hesperia*,
Del Supremo Senado gloria digna:
A tí, cuya eleccion al Gran Monarca
El renombre de Sabio le confirma:
A tu influencia la sagrada *Themis*
Recobra su esplendor y fuerza antigua:
Y á tu benigno Imperio la soberbia
Su altivo cuello reverente humilla.
Tú infundes el amable, el dulce trato
Con que el mas fiero pecho se humaniza,
Y con nobles vistosas diversiones
Los ánimos alhagas y cultivas.
Tú en fin, al paso que la Corte adornas,
Aseguras del Prado en la delicia
La pública salud al Ciudadano,
Y el digno alivio á su afanada vida.

(1) Hazañas de los Españoles en Filipinas bajo del mando de Don Simon de Anda y Salazar, y acaudillados por Don José Bustos.

(2) La toma de la Colonia del Sacramento.

(3) Eleccion del Conde de Aranda para Presidente del Real y Supremo Consejo.

Desde entonces del campo la cultura (1)
Y poblacion prospéra en las Provincias,
Y se vé las aspereza de las sierras (2)
En hermosos sembrados convertida.
Unos se afanan en rozar los campos,
Otros labran humildes alquerías:
Quien se aplíca á esparcir el rubio grano,
Y quien á apacentar la grey tardía.
¿Qué diré de las Artes y las Ciencias (3),
Por la *Real Proteccion* restablecidas?
¿Qué del Comercio que por mar y tierra
La *Africana* (4) *Alianza* facilita?
Ni hay region tan distante, á donde el pliego,
Depositario fiel de las noticias,
No conduzca el *Bridon* ó el *Pino alado* (5),
Que al inconstante piélago se fia.
Ya la *Mendicidad* (6) vaga, y expuesta
Al crímen, logra su morada fija,
Y el sustento y empleo en varias Artes,
Que nuestra industria Nacional excitan.
Distribúyense premios al que atento
Su ingenio con feliz fruto cultiva,
Y al que en las Artes llega á aventajarse
A la vida del hombre mas precisas (7).
La *Historia Natural* (8), á la indecible

(1) La Agricultura promovida por medio de varias providencias y autos acordados del Consejo.

(2) Poblaciones de Sierra-Morena.

(3) Restablecimiento de Artes y Ciencias.

(4) Alianza con el Emperador de Marruecos.

(5) Arreglo de los Correos de tierra, y establecimiento de los marinos.

(6) Recogimiento de los mendígos en los Reales Hospicios de Madrid y San Fernando.

(7) Proteccion de los sugetos sobresalientes en las Artes ó en las Ciencias.

(8) La Botánica, que es un ramo de la Historia Natural, fomentada especialmente en el Real Jardin Botánico, y por medio de los premios distribuidos á sus Profesores.

Benignidad del Rey reconocida,
De sus tres vastos Reynos el gobierno
Al acierto del Gran Monarca fia;
Para formar su estatua tributando
Nuevo eterno metal en la *Platina* (1),
Y entretegiendo para orlar su frente
Guirnaldas de las flores nunca vistas.
Del Rey en tanto la memoria logran
Los leales servicios nueva vida,
Previniendo su sabia providencia
Alivia á la horfandad de las familias (2).
La instruccion se promueve del Soldado (3),
Y el brio con el Arte se duplica:
Del verdadero honor dando el Monarca
Las reglas y el exemplo á su Milicia......
Formado apenas hube este bosquejo,
Que de *Apolo* el divino ardor me inspira;
Quando de *España* la magestuosa
Imagen se ofreció á mi fantasía;
Y con semblante plácido me dixo:
»Tu noble intento advierto agradecida,
»Pero no alcanza á celebrar de Carlos
»Las hazañas tu mal templada Lyra.
»Solo el mismo Monarca, si á las *Musas*
»Los ojos vuelve con piedad benigna,
»Podrá hacer que algun dia absorto el Orbe
»Produzca ingenios dignos de aplaudirlas.

(1) Nueva especie de metal descubierta en este siglo. Mantiene su brillantez expuesto al ayre, y goza casi del mismo peso que el oro; y bien exâminado puede tener maravillosos usos en las Artes. Los experimentos hechos hasta ahora sobre este metal se hallan recogidos en un Tratado intitulado: La Platine, l'Or blanc, ou le huitieme metal &c. impreso en París año de 1758 en 8.°

(2) Fundacion de Montes Pios para el socorro de las Viudas, y Huérfanos de los Empleados en servicio de S. M.

(3) Adelantamiento de la Disciplina Militar, y formacion de nuevas Ordenanzas.

»Ni elogios faltarán al Joven Carlos,
»Firme esperanza de esta *Monarquía*,
»A quien del Rey el íncito heroismo
»A la mas noble emulacion anima.
»Tampoco faltará *Numen* que aplauda
»Las adorables gracias de Luisa,
»Que es el dulce embeleso de mi Pueblo,
»Y de su Augusto Padre las delicias:
»Princesa, á quien el Cielo ha prometido,
»Que por su medio ha de colmar mis dichas,
»Renovando en fecunda descendencia
»Las ramas de su estirpe esclarecida:
»Esta estirpe gloriosa en paz y en guerra,
»Cuyo alto Imperio se verá algun dia,
»Para gran bien del Orbe, dilatado
»Por el ámbito inmenso de sus climas.

Emmanueli *de Villafagne*, Regior. Studior. Præfecto, libros ad Naturæ Historiam pertinentes mittit, ejusdemque Scientiæ patrocinium commendat.

HENDECASYLLABI.

Quos gnatus petit, optimus puellus,
Libros en tibi, *Villafagne*, mitto,
Ut pictura alat haud inani ocellos,
Doctrinâque animum imbuat fidelem.
In his delicias, opes et almæ
Naturæ inveniet, nec inde fructus
Aut paucos referet, parumve opimos.
Illud ò! liceat tamen rogare,
Ne patrocinium semel graveris
Ultro suscipere optimæ parentis,
Quæ jam te puero beavit isto,
Præclari ingenii, indolisque summæ,
Corculo Charitum, Cupidinisque.
Quare ego te iterum obsecro, haud graveris
Naturæ Historiæ patrocinari;
Ni secus faciens velis haberi
Ingatissimus omnium virorum,
Quot sunt, quotque fuere, eruntque deinceps,
In Naturam, hominum optimam parentem,
Quæ te moribus, indole, et vetusta
Stirpe, et ingenio beavit ultro,
Et nunc hoc penitus beat puello,
Virtutes patrias referre nato,
Corculo Charitum, Cupidinisque.

In Alphonsi *Azevedi* de TORTURA EXERCITATIONEM, cùm illam ederet anno MDCCLXX,

HENDECASYLLABI.

Haud auro, Liber, æstimande contra,
Quem dono mihi mittit *Azevedus*,
Humano Generi sacrata Charta,
Diis te ego potius dicabo summis,
Queis cordi est hominis salus miselli.
O! quantum est hominum politiorum,
Et sani ingenii, bonæque mentis,
Docto plaudite, plaudite, *Azevedo*;
Est ausus siquidem unus hic Iberûm,
Contra murmura, lividosque morsus
Scriptorum, placita improba edocentûm,
Oppressam miserè excitare vocem
Æquitatis, et optimus patronus
Humani Generis favere causæ,
Mortalesque beare munere isto,
Cœlesti penitus, Deûmque digno.
Hoc, hoc vindice, jam benignitatis
Pristinum recipit decus sacerdos,
Nec manus hominum cruore turpat.
Solvamus Superis, age, eja, votum.
Sed priùs, Rabulæ, venite in ignem,
Vos sacrum, Rabulæ, venite in ignem,
Sæcli incommoda, garruli, inficeti:
Et stridentibus his adhuc in igne,
Tormentisque malam in crucem ire jussis,
Humano Generi sacrum libellum,
Quem dono mihi mittit *Azevedus*,
Vobis, Dii, potiùs sacremus omnes,
Queis cordi est hominis salus miselli.

Josepho *Irustæ*, Regior. Studiorum Bibliothecæ Custodi,

HENDECASYLLABI.

Quos inscribere nuper *Azevedo*,
Sodali libuit tuo, meoque,
Velim versiculos legas, *Irusta.*
Sis quamvis nimis aure delicata,
Iudex difficilis, probabis illos,
Probabis, poliesve non politos;
Te humanarum etenim scientiarum
Colentem studia, in Minervæ alumnos
Humanum quoque novimus, bonumque.
Id si cui dubium est, nitentis oris,
Frontisque aspiciat decus modestæ.
Quod si te audierit, diserte *Irusta*,
Mellito semel ore proloquentem;
Si te, inquam, audierit, satis superque est.
Quare versiculos, tuo sodali
Mitendos modo quos, I*rusta*, feci,
Probes, aut polias, velim, haud politos.

Ad egregiæ indolis Adolescentem, meum in humanioribus litteris auditorem (modo jam summum Regii exercitûs ducem) D. D. Joaquimum Blake,

HENDECASYLLABI.

Jucundissime Blake juniorum,
Quot ævum hoc tulit, aut tulere sæcla,
Pulchrarum studiose litterarum,
Gravem militiæ inchoans laborem,
(Nostras namque soles probare nugas)
Quod nuper cecini, hîc habes poema,
Hîc habes, lachrymas quod innocentis
Peregi cruciatuum misertus,
Exile, et tenue hîc habes poema.
Nostris hocce legas, velim, *Guevaris*,
Queis si se probat, eja, abi, poema,
Quod legant Critici severiores,
Si his cordi est hominis salus miselli.

Francisco *Cerdano*, suo in R. Historiæ Academia sodali, *Commentarium de Cicuta* mittit.

EPIGRAMMA.

Quem pridem scripsi de herba, *Cerdane*, bilinguem,
 Exigua exiguum, nunc tibi mitto librum.
Socratis insontis vitam extinxisse Cicutam,
 Fama est; et succi vi periisse sophum.
Socraticæ at necis insontem contendo tueri
 Illam, nec tanti criminis esse ream.
Imo salutarem, et variis virtutibus æquam
 Ægrotis plantam pluribus esse probo.
Forsitan hoc etiam tibi, vel graviora legendo
 Scripta fatigato, sæpe levamen erit.

Francisci *Cerdani* ad Casimirum Ortegam, de ejus Commentario de *Cicuta*,

EPIGRAMMA.

Num tristes pellat morbos, Casimire, *Cicuta*,
 Certat Apollinei turba proterva chori.
Sed cùm tam salso condis sermone *Cicutam*,
 Illa animo præsens est medicina meo.

Ejusdem in C. G. Ort. opuscula de *Thermis Trillensibus*, et *Pipere Tabasci*,

EPIGRAMMA.

Queis valeant *Trilli* Thermæ tot pellere morbos,
Egregiâ medicos detegis arte sales.
Dein gratum, et fragrans in publica commoda vulgas,
Quod tellus profert Mexica sponte *Piper*.
Ergo sapis, dum nil nisi cunctis utile scribis,
Et quidquid scribis, mi Casimire, sapit.

Ad Annum MDCCLXXI. ter felicem

EPIGRAMMA.

Salveto, ó felix annus, quo Hispanica tellus
Fert amplas fruges uberiore sinu;
Carolus amplâ auget quo Rex mercede Magistros,
Et quo Augustam augent Numina prole Domum.

COMITI DE *FLORIDABLANCA*, Prolusiones Botanicas spectatum accedenti,

EPIGRAMMA.

Ingredere, Imperii columen, tutela, decusque;
  Ingredere, Hispanæ gloria rara Togæ.
Cernis, ut innumeras inter studiosa Juventus,
  Quæ sit, quæ noceat, quæ juvet herba, docet?
Ut *Linnæanæ* methodi se credere filo,
  Et dubium tutò pergere gaudet iter?
Id CAROLO acceptum Regi, Patriæque Parenti,
  Id tibi nunc gestit, celse, referre, *Comes.*
Et diri properat victori erroris, et oti,
  Texere victori vivida serta tibi.
Dumque renascentur stirpes, solemnia Floræ
  Crescent Fautori debita dona suo.
Haud fallor vates: monumenta humana peribunt,
  Atque nihil tempus non violabit edax.
Sæcula labentur: nomen tamen usque manebit
  Cum *florenti* Horto, FLORIDABLANCA, tuum.

TRADUCCION.

Excelso Conde que el *Estado* ilustras,
De quien eres colúna y firme escudo,
Claro esplendor de la española Toga,
Ven presuroso á promover la Ciencia
Con que la Juventud aquí enseñada
De inmensa variedad de vegetables
Nombres, virtudes y usos nos explica,
Siguiendo en este laberinto el hilo
Del *Linneano*, docto y fiel sistema.
Hoy del Monarca, padre de sus pueblos,
Y del sabio *Ministro* reconoce,
Y ostenta con amor los beneficios.
A tí, ó glorioso domador del *ocio*
E *ignorancia*, previene presurosa
Guirnaldas que te ciñan la alta frente,
Guirnaldas que anual y justo obsequio
Al protector renovará de Flora,
Mientras produzca plantas la alma tierra.
No será vano, no, mi vaticinio:
Faltarán de la industria de los hombres
Monumentos soberbios: no habrá cosa
Que del tiempo respete la cruel saña:
Sucederse han los siglos, y entre tanto
Vivirá inmarcescible entre las plantas
Del Jardin *floreciente* á tu influencia,
Floridablanca, tu inmortal renombre.

De *Garcilasso de la Vega*, qui bello gallico arcem scandens cecidit adstante Carolo V,

EPIGRAMMA (1).

Cæsar adest, *Lasso* Mars inquit: laus sibi cordi est,
Longè à se ignavos Cæsar abesse jubet.
Eja age, rumpe moras; viden' ut jam militis enses
Acri animo saltem, quo licet, ille præit?
Frustra ipsi Phœbus: te, te ad majora reserva,
Heros cantandus major Achille tibi est.
En scandit, sequitur pubes, jamque arce subacta
Saxo heu! excussus volvitur exanimis.
Tum juvenem bello ereptum Mars laudat, et ipsi
Victrici properat cingere fronde comas.
Hæret vate super Phœbus; dein lumina torquens
In Carolum, tristi talia voce refert:
I nunc, perge aliis orbem insignire trophæis:
Dignâ, hoc extincto, quis sonet illa tubâ?

(1) Versio Carminis Italici (vulgó *Soneto*), quod clariss. Joannes Baptista Comes *Conti* Garcilassi Eclogæ Primæ italicæ translationi præfixit. Matriti, 1777.

DE REBUS GESTIS

A

COMITE DE FLORIDABLANCA

EPIGRAMMA.

Spargentem primùm quem Curia vidit Iberûm,
  Doctrinæ radios, consiliique, virum;
Urbs Romana dein rapuit, mox jam tenet illum
  Insignem gnatum Patria læta suum.
Sustinuit res hispanas, Mavorte furente;
  Compressitque hostis corda superba feri.
Finibus Hesperiæ prædones arcuit Afros;
  Nautasque Ægeum currere jussit iter.
Huic celsas debet Pallas, quas præferat, arces;
  Huic Hortum debet, quem sibi Flora colat.
Ipse solo æquavit montes; perque ardua saxa,
  Per rupes lata est jam patefacta via.
Stemmata non ipsum, neque opes, quas porrigit Aula,
  Ast Regum, ast Patriæ sollicitavit amor.
Hunc ergo Terris concessum, hunc, alme, precamur,
  Juppiter, in cœlum serius oh! repetas.

De exauditis à Deo precibus pro ejusdem clar. viri longævitate

EPIGRAMMA.

»Hunc ergo terris concessum, hunc, alme, precamur,
  Juppiter, in Cœlum serius oh! repetas.»
Talia commemini, superos in vota vocabat
  Pro egregio supplex nostra Thalia viro.
Exinde haud binos Phœbe compleverat orbes,
  Cùm exaudita Deo vota fuêre mea.
Nam te lethali petit improbus advena ferro,
  Et violat corpus, *Floridablanca*, tuum;
Sed quem conata est prosternere perfida dextra,
  Incolumem servat dextera fida Dei.

De ejusdem Comitis titulo *Floridablanca*

EPIGRAMMA.

Faustum omen cunctis Floræ portendit alumnis
  Cognomen faustum, *Floridablanca*, tuum.

De Joannis *Conti* Selectiorum Carminum Poetarum Hispanorum Italica interpretatione, Matriti editâ,

EPIGRAMMA.

A Lasso Petrarcha Itali sermonis honores
  Dum videt ereptos, sic doluisse ferunt:
Et nova jam nostræ Lauræ præibit Elysa!
  Dives jamque meis alter erit spoliis?
Tum vatis Phœbus cupiens mulcere querelas
  Hetrusci, tales reddidit ore sonos:
Chare mihi ante alios, non æquo parce dolori:
  Et sua, non Italis debita, Lassus habet.
Quin etiam Italica surgens ab origine *Contus*
  Te, tua, Lassum ipsum transferet Italiam.

Ad Clar. Virum Petrum DE SILVA BAZAÑUM

EPISTOLA.

SILVA, poetarum nostræ clarissime gentis,
  Nobilis et proavis, nobilis atque lyra,
Dum te magniloquum mirata Valentia vatem
  Detinet, ac audit non satiata melos:
Me miserum mille excruciat fortuna periclis,
  Et livor rabido carmina dente petit.
Quin etiam indignum cœtu me avertere tentat,
  Qui Hispanas Musas, eloquiumque colit;
Quæ dici gaudens *Hispana Academia* docti
  Fratris docta tui subjacet imperio.

Scilicet objiciunt, notis natalibus usum,
  Non me adeo insigni nobilitate frui.
Nec tamen id jactant, magnis qui à Regibus ortum
  Ducere creduntur, ducis ut ipse tuum.
Sed pauci, insolitos queis sors concessit honores,
  Fastuque insueto turgida corda gerunt.
Illi ignobilium non usurpare parentum
  Ausint, non fratrum nomina, non proavûm.
Ausi sunt tamen usque usum exprobrare medendi,
  Quo datur utilius, nobiliusve nihil.
Ast me ipse admonuit Phœbus, diversa secutum,
  Discere, quæ prosit, quæque sit herba nocens.
Ipse Machaonias Artes, Musasque colenti
  Mi gaudet duplici cingere fronde comas
Fortè ab eo heu! cuncti manant mihi fonte dolores,
  Id fortè insonti concitat invidiam.
Quare ò tu, Phœbi qui proxima carmina pangis,
  Gentis honor, sæcli, Silva, decusque tui,
Nam tibi nascenti castæ arrisere Camœnæ,
  Et dant fraternæ plectra movenda lyræ,
Respice me miserum, non dedignatus acerba
  Suscipere oppressi sorte patrocinium.
Nam tua tam distent quantumvis Carmina nostris,
  Quàm rauco modulans ausere distat olor;
Hæc erit et Musis, et res gratissima Phœbo,
  Si haud vati vates ferre graveris opem.

Respuesta de mano del Señor Don Pedro de Silva al Dr. Don Casimiro Gomez Ortega en el siguiente

SONETO.

De repetidas fiebres oprimido,
Con dolores agudos fatigado
En mi lecho yacía, mas postrado
De un mortal parasismo, que dormido.
Quando con tal dulzura por mi oido
Entra un eco armonioso y alternado,
Que de mí mismo casi enagenado
La fiebre arrojo y el dolor olvido.
De algun pensil de yerbas y de flores
Viene, no hay duda, tan suave acento,
Dije, por la fragrancia que respira.
Pero ¡qué escucho! qué! ¿Quien con primores
Tales maneja el Délfico instrumento,
Protector busca? ¿protector? Su lyra.

Ad Apollinem eodem Clarissim. Poeta D. D. Petro de Silva ægrotante

EPIGRAMMA.

Jamdiu, Apollo, febris divexat tertia Silvam,
Et teneros artus frigus, et æstus edit.
Si *Herreræ*, *Ercillæ*, *Caudami*, aut cura *Moreti*,
Aut *Garcilassi* te tenet ulla mei;
Si te *Argensolæ*, fratrum par nobile, si te
Fœcundo oblectat carmine *Vega Lupus*,
Si *Calderonus*, *Solis*, *Figueroa*, *Salinas*,
Rueda vetus, *Rojas*, *Cancer*, *Oliva*, *Leo*,
Si *Moratini* ambo, *Melendez*, *Huerta*, *Iriartus*
Arrectas aures detinuere tuas;
Si tibi *Cervantes* excivit sæpe cachinos,
Insuetum pergens ingeniosus iter;
Denique nostri alii tibi si placuere Poetæ;
Uno hoc in Silva serva, age, tot capita.

Ad eundem, Italiam peragrantem,

EPIGRAMMA.

Dum tu miraris veteris vestigia Romæ
Prædoctis lustrans omnia, Silva, oculis:
Te potius nova jam miretur Roma, necesse est,
Atque animi dotes, ingeniique tuas;
Ceu mirabatur; quos olim Hispania misit,
Augustos, Vates, Rhetoras atque Sophos.
Quos omnes unus doctrina atque ore diserto,
Et plectri, et stirpis nobilitate refers.
Quem si *Lampillas Tiraboscho* opponat, Iberos
Æquiparare Italis vel *Tiraboschus* amet.

Ad clariss. virum Bernardum *Galvezium*, in America triumphantem,

EPIGRAMMA.

Qui Hisperio, inmenso divisas æquore gentes,
Dura coegerunt subdere colla jugo,
Nec livor gesta obscuret, nec deleat unquam
Præclara heroum nomina tempus edax.
Sed nondum galeæ fuerant, nec scuta, nec enses,
Indorum turbæ cristave visa minax.
Nondum exauditus strepitus, clangorve tubarum,
Horridâ et igniti pulveris arte fragor.
Tunc Indi primùm stupuere tonitrua Martis,
Primùm ipsos monstri terruit instar eques.
De te igitur, qui non de Indis, sed de hoste britanno,
Invicto toties, ampla trophæa refers,
Dum tua militiæ laudem Hesperiæ asserit, atque
Victrix *Floridam* dextera restituit;
Sera, inquam, de te, *Galvez*, quid fama loquetur?
Nempe super veteres te eminuisse duces.

Ad Thomam *de Iriarte* de Musices Poemate

EPIGRAMMA.

Et cantûs præcepta doces, et carmina condis
Dignaque Damonis, dignaque Virgilii.
Quis jam te dubitet Phœbo conferre, *Iriarte*?
Is modo, cui livor viscera rodat edax

Ad eundem,

Pacis, et Belli Poematis Auctorem

LUSUS POETICUS.

Bella ineat frater, pacemque, et fœdera pangat:
Tu Paçem, et Bellum, Thoma *Iriarte*, cane.

TRADUCCION.

Ocupen á D Bernardo (1)
Alianzas, Guerra y Paz:
Cante con igual acierto
Paz y Guerra D. Tomás.

(1) Oficial primero de la Secretaría de Estadó.

Ad eundem amicissimum virum, qui Auctori lepidissima Hispanica carmina, quæ hic subjiciuntur, scripserat,

EPIGRAMMA.

Cùm te torqueret nodosa, *Iriarte*, podagra;
Tentaret, timui, dira chiragra manus.
I, monuit Phœbus, vati sucurre, sonare
Hispana ut pergat carmina culta lyra.
Protinus accurrens medicinam præbeo; cedit
Paulatim morbus, surgis et incolumis.
Ergo novos alacris properas mihi mittere versus,
Quos cuncti laudent, Phœbus et ipse legat.
Nil pro consiliis, nil pro medicamine, *Thoma*,
Aut Medicus spero, aut Pharmacopola peto.
Tu tamen oh! pretium solvis pretiosius auro,
Dum socii tollis nomen in astra tui.

Iriarte cumple la palabra que dió de pagar en verso el remedio para la Gota, con que le ha favorecido su amigo Don Casimiro Ortega, á quien dedica las siguientes

DECIMAS.

Hay Médicos que los males
De sus hijos nunca curan,
Y á otro Médico procuran
Llamar para lances tales.
En mis dolencias actuales
Su auxîlio Apolo me niega;
Mas como afable me agrega
De sus hijos en la lista;
Para que por él me asista,
Elige á mi amigo Ortega.

La desgracia no respeta
Ni á los grandes, ni á los chicos:
La Gota que es mal de ricos,
Persigue á un pobre Poeta.
Mas ya una eficaz receta
Dicho amigo me aplicó:
No puede dañarme, nó,
Que es cuña del mismo palo,
Pues de Gota estuvo malo,
Y es Poeta como yo.

De immanibus Musei ad ambulacrum publicum columnis

EPIGRAMMA.

Fortè obiens Fabius nuper constructa, Minervæ
Et Phœbo, et Musis tecta dicata videt.
Nil sustentantes spectat sex ipse columnas,
Et rogat, hæc moles quid sibi tanta velit?
Non aliquod culmen, vel onus fulcire paratas
Esse, ait Andromachus, tunc ibi qui aderat:
Sustentata ipsis Auctoris pristina fama,
Jam ruitura aliter, plebe favente manet.

Ad amœnissimi Ambulacri (vulgo *del Prado*) fabrorum Præfectos,

EPIGRAMMA.

Hesperia in nostra cùm bello, paceque constet
Persæpe illustres eminuisse viros;
Lustranti plateas, et compita, nullibi cuiquam
Nostratum heroum signa videre licet.
Neptuni, et Phœbi, et Cibeles è marmore structa
Emeatitorum stant simulacra Deûm.
O *imitatores, servum pecus*! Anne secutos
Vos veterum mentem, consiliumve putem?
Heroas illi, virtutum exempla, coævis
Spectandos, rectè proposuere suos.
Hesperiæ heroas, quos pace imitemur, et armis,
Nobis ante oculos ponere vos decuit.

CARMINUM

LIBER SECUNDUS,

REGNANTE CAROLO IV.

In CAROLI III. obitu.

EPIGRAMMA.

Regnabat Carolus duplici diademate cinctus,
Tertio, at æterno jam Deus ornat eum.
Egit Magonis, Velitrarum, aliosque triumphos,
Nunc verè Victor Cœlica Regna tenet.

Ludovico Borbonio, Parmensi Principi, Hortum Botanicum invisenti,

EPIGRAMMA.

Horto, quæsitum est, num quidquam pulchrius esset?
Horto Parmensis pulchrior est Lodoix.
Quam bene doctrinam, ingenium, moresque venustos
Corporis, atque animi forma venusta decet!

Eidem Principi, in R. Historiæ Academiæ ædibus antiquitatis monumenta perlustranti,

EPIGRAMMA.

Dum Libros, Juvenis Princeps, Academia, et acti
Temporis ostendit dum monumenta tibi;
Ipsi materiem scribendi dant tua virtus,
Doctrina, ingenium: mox tua gesta dabunt.

Ad Eminentiss. D. Franciscum *de Lorenzana*, Archiepiscopum Toletanum, et S. R. E. Cardinalem, à R. Historiæ Academia cooptatum,

EPIGRAMMA.

Quid dignum hoc cœtu? quid tanto Præsule dignum,
Lorenzana tibi nostrâ Camœna feret?
Non adeo te nobilitat tua purpura, Princeps,
Quàm placidi mores, ingeniumque tuum;
Purpura secernit populo: doctrina merentem
Te miscet doctis, adnumeratque viris.

Exiguum Auctoris rerum naturalium Museum perlustranti

EPIGRAMMA.

Naturæ fragmenta videns, ex ungüe Leonem
Disce opera, et supplex suspicito Artificem.

Ad Excell. D. Petrum *Acuña*, *et Malvar*,

HENDECASYLLABI.

Præstantissime Caroli Minister,
Acugna, columen scientiarum,
Et quantum est hominum peritiorum,
Ex quo litterulas meas fovere
Pergis comiter, et nimis benignè,
Nil me gratius est, beatiusve.
Ast si me Carolo inclyto haud graveris
Commendare, libenter exsequutus
Multo me efficies beatiorem;
Cura, et delicium meum virescet,
Languens, aridulus virescet Hortus,
Voluptas Populi, Salusque Iberi,
Regius revirescet Hortus, et te,
Nostra te, gracilis licèt, Camœna
Sublimem meritis in astra tollet,
Te pleno ore ego prædicabo, *Acugna*,
Patronum, et columem scientiarum,
Et quantum est hominum peritiorum.

Ad eundem

LUDUS POETICUS.

Lentulus, et Fabius præclaræ agnomina gentis
Duxère à plantis, ut Cicero à cicere.
Maternum Malva agnomen tu ducis ab herba:
Sis studii herbarum Fautor, *Acugna*, decet.
Adde quod austeri quantumvis sint tibi mores,
Ad doctos Malvâ est mollius ingenium.

De Josepho Michaele *de Flores*, versificatori è trivio patrocinante,

HENDECASYLLABI.

Cur *Floresius*, obsecro, politi
Ingeni vir, et optimus patronus,
Causam suscipit improbi, inficeti,
Indocti, furiosi, et impudici,
Et si deterius quid est, poetæ?
Nil sperat sibi paupere ex poeta,
Cui nec est loculus, nec aes, nec arca.
Pessimis equidem suum patronum
Versibus poterit remunerari:
At *Floresius* optimus patronus,
Acris judicii, ingeni politi,
Hos non ex animo probabit unquam.
Quo ergo consilio imbrobi poetæ
Causam suscipit optimus patronus?
Ut se scilicet improba poetæ
In causa probet optimum patronum.

Ad Josephum *Ortizium*, Setabiensem, et Ecclesiæ Setabiensis Decanum,

EPIGRAMMA.

Accipio gratus, quæ dono, *Ortizie*, mittis,
  Lecta Valentino punica mala solo.
Dulcia sunt, fateor: verùm plus dulcia multò
  Carmina, quæ scribis, crede, fuere mihi.
Plura Valentini convicia sæpius in me
  Jactarunt; insons jurgia plura tuli.
Nil horum ultus ego: quin et condono lubenter
  Omnia granatis, carminibusque tuis;
Inque leves homines, mellito munere captus,
  Ortizi, pergam spargere melle jocos.

Ad Josephum *Cornide*, suavissimum in R. Historiæ Academia Sodalem,

EPIGRAMMA.

Si commendaris rursus, *Cornide*, Magistros
  Præfectis Chemiæ, Botanicesque meæ;
Botanice manibus sparget tibi lilia plenis
  Doctaque laurinâ tempora fronde teget.
Et Chemia haud aurum tibi jam, lapidemve Sophorum
  Deferet: æternum vivere grata dabit.

De Francisco *Sobral*, Asturum Principis saluti, insertis variolis, feliciter consulente,

EPIGRAMMA.

Subversam Italiam, expugnatam jactet et urbem
Adriaco assuetam ponere jura mari.
Jactet et Ægypti celeres *Bonaparte* triumphos,
Atque armis Arabum regna subacta suis.
Miretur levis humano plebs sanguine campos
Pertusos, et tot corpora cæsa virûm.
Nos diæ potius *Sobralis* plaudimus arti,
Qua letho cives eripit innumeros.
Variolâ insertâ FRATRES cum PRINCIPE servat:
Exempli utilitas non peritura manet.
Quis jam illi dubitet tantò hunc præponere, quantò
Plus servare homines, quàm jugulasse fuit?

De eodem *Sobrale*, Archiatro Regio, sanitati restituto.

EPIGRAMMA.

Sobralem, quem vis oppresserat effera morbi,
Salvum, atque incolumem dum Libitina videt;
Non tam unum Medicum præstantem convaluisse,
Quàm Medicinæ Artem convaluisse dolet.

Mariano *Galinsogæ*, Reginæ Archiatro, et Horti Botanici Præfecto,

ODE.

Hispali sospes remeans ab urbe,
Clare *Galinsoga*, decus qui haberis,
Et salutaris pater, atque custos
Clinicus Artis,
Quique sirenas fugiens Ulyssis
Provìdi ritu, modo tutus, atque
Bæticas ridens memoras puellas,
Dulce loquentes;
Sæpe te noster vocat Hortus, arbos
Floribus vernans vocat, auctaque offert
Pergula gratam reduci Patrono
Porticus umbram.
Hîc novis textam tibi, digne, plantis,
Gentis Hispanæ, tibi, cui salutis,
Atque Reginæ data cura nostræ,
Necto coronam.

De Leandro *Moratino*, insigni Comœdiarum Scriptore

EPIGRAMMA.

Te memini puerum clari vestigia Patris,
Versus tentantem dicere, pone sequi.
Mox hominum mores, soccum, florente juventâ,
Ridendo indutus corrigis, atque jocis.
Una tamen laus esto tibi, *Moratine*, Parenti
Arteque, et ingenio te æquiparare tuo.

De *Mengs*, et *Azara*, ejus Operis editore,

EPIGRAMMA.

Numina mortales simulantia pinxit Apelles:
Mengs homines ausus pingere Diis similes
Pictoris tabulas, livore, *Azara*, fremente,
Dat modo, et æternum vivere scripta Sophi.

Ad Æmilianum archytectum, Cloacas publicas dominante Matriti fame molientem,

EPIGRAMMA.

Tempestivè equidem struis, Æmiliane, Cloacas
Nunc, vacuos stomachos cùm premit atra fames.

Laurentio *Amico*, Medico castrensi,

EPIGRAMMA.

Nescio, num esse ægrum sanos sit tristius inter,
Aut ægros inter triste valere magis.
Postquam *Aranguesii* liquisti læta vireta,
Tertia me asiduo vexat, *Amice*, febris.
Nil mihi proficiunt Medici, nil pharmaca prosunt,
Nil Floræ illecebræ; nil alimenta juvant.
Quin etiam studium, quomdam mea magna voluptas,
Solamenque mali Bibliotheca nocet.
Carmina sola levant animum, quæ mittis, *Amice*,
Ægrum culta animum carmina sola levant.
Hæc ego sæpe lubens relego, absentisque carere
Fidis consiliis, eloquioque dolet.
O! utinam post tot curas, bellique pericla
Aurea Pax salvum te mihi restituat!

De Linguarum Italicæ, et Hispanicæ affinitate

EPIGRAMMA. (1)

Matrem Lingua Itala, atque Hispana agnoscit eamdem,
Orbis quæ sonuit cuncta per ora virûm.
Forma elegans Italæ, nec, qua gens gaudet Ibera,
Cedit ei: nam æquè est utraque pulchra soror.
Illa tenet, quæ te nascentem, CAROLE, quæque
Lætæ adspexerunt te, LODOICA, plagas.
Occupat hæc oras, per quas famulantibus ultro
Tot latè populis vos pia jura datis.
Utraque vos claros Heroas laudibus ornat,
Utraque se in vestrum devovet obsequium.
Nunc audite, precor (nec sit grave), ut altera sensus
Reddit, et alterius verba venusta refert;
Utque vices servant, modulataque carmina pangunt,
Utque huic Pieriâ consonat illa lyrâ.
Ergo Italum vatem simul, Hispanosque poetas
Vestri (oro supplex) protegat umbra throni.

(1) É Joannis Baptistæ *Conti*, *Comitis*, Italico Carmine translatum.

Ad R. Historiæ Academiam de imminuta ejusdem Quæstoris constituta mercede, quo tempore Rex indulgentissimus Academiæ reditus auxerat,

EPIGRAMMA.

Raros dum hic Cœtus nummos numerabat in arca,
Fido Quæstori præmia justa dabat:
Ditior est factus: Censor vos admonet, illi
Fas esse imminui dimidium reditûs.
Sic etenim natura hominum fert, parcior ut sit
Quivis, quó plures accumulavit opes.

Didaco *Clemencin*, in R. Historiæ Academia sodali,

HENDECASYLLABI.

Quod legisse Epigramma concupisti,
Inconcinnum Epigramma, et invenustum,
Clemencine, tibi gerendo morem,
Mitto, judicii viro subacti,
Sagax, egregie, et polite scriptor,
Indagator acute pristini ævi.
Hic nil invenies novi, aut vetusti,
Nil præter studium æmulandi inane
Owenum, lepidumve Martialem.
Id spero tamen, id probabis ùsque,
Et te plus oculis meis amabo,
Clemencine benigne, nec morabor
Novis carminibus te in astra ferre.

De Exmo. D. Mariano Ludovico *Urquijo*, Caroli iv, Regis statûs administro,

EPIGRAMMA.

Mecœnas, qui ipsum celebrarant, vatibus ampla
Dona, et amicitiæ pignora certa dedit.
Carmina sæpe tuum qui sustuli ad æthera nomen,
Abs te nulla habuit signa patrocinii.
Ergo, mi *Urquije*, aut Mecœnas non bonus es tu,
Aut ego sum (potius credo) poeta malus.

Josepho Nicolao *de Azara*, Hispaniar. Regis ad urbem Romam Legato,

EPIGRAMMA.

Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit,
Cùm Catilinæ urbem faucibus eripuit:
Gallia, et Italia, et servata Hispania rursus
Custodem pleno te vocat ore suum.
Si tandem oh! reliquus, te auctore, quieverit orbis,
Jam te, *Azara*, orbis dicet uterque Patrem.

Ad Excmum. virum D. Petrum *Cevallos*, de miseranda tunc temporis, deque Auctoris, rude se donari petentis, conditione,

ELEGIA.

Si quid adhuc prosunt vota, ò *Cevalle*, precesque,
 Et probitatis amor, justitiæque valent;
Ne pigeat duris fatis succurrere presso,
 Unam qui te animo supplice poscit opera.
Postquam Phytologi doctoris munere fungor,
 Quæ sit, quæ noceat, quæ juvet herba, docens;
Volvitur, ætate heu! meliore actâ trigesimus annus,
 Et jam jam tristi conficior senio.
Interea scripsi librum, tyronibus aptum,
 Utiliora Artis qûo rudimenta dedi.
Linnæi Sophiam tentavi haud prorsus ineptis
 Illustrare Notis, nobile primus opus.
Per decades Horti plantas rarasve, novasve,
 Iconibus nitidis, sumptibus edo meis.
Peruviam me auctore adierunt, me duce stirpes
 Discipuli evulgant, quas novus orbis alit.
Ipse invisi hortos, Londinum, Oxonia quotquot,
 Et Belgæ, et Batavi, et Gallia docta colit.
Barcino nunc audit, Gades, Carthago Magistros,
 Quondam auditores qui eminuere mei.
Est etiam ex agris Hortus translatus in urbem
 Regali impensâ, sedulitate mêa.
Ast idem hæc inter, qui tot florere per annos,
 Stirpibus allatis undique, visus erat,
Turpi segnitie cultorum marcet, et æstu
 Languescit moriens, deficit atque siti.

Et quondam frondosa arent arbuscula, et omnis
  Sensim tabescens arbor, et herba perit.
Advena quin etiam cultor primarius horti
  Negligit, et flocci me, et mea cuncta facit.
Præfectique dati nuper fastidia cogor,
  Ventosi Juvenis, sæpe superba pati.
Cultores moti exemplo contemnere, meque
  Deridere solent rusticitate sua.
Discipuli, numerosa cohors mihi chara, Magistri
  Nequidquam indignans fert miserata vicem.
Nulla hîc sedulitas, non Professoribus ullum
  Obsequium, nulla hîc pax, modus, ordo, fides.
Regula nulla hîc certa; libidine cuncta reguntur;
  Cujusque hîc uno vivitur arbitrio.
Exinde heu! raras stirpes serere ordine, nec jam
  Semina vel legere, aut carpere poma juvat.
Nec juvat apta novis imponere nomina plantis,
  Nec florum oblectat forma, nec ullus odor.
Nec nemus arte satum, nec gratâ porticas umbrâ,
  Undique quam foliis vitis opaca tegit.
Nec quæ defendunt plantas à frigore, tecta,
  Nec quæ subjecto stirpibus igne fovent.
Jamque potestates herbarum ostendere, et usus,
  Queis delectabar, pene docere pudet.
Ipse odio est Hortus, quondam mea sola voluptas,
  Una salus quondam, deliciumque meum.
At semel ò utinam! si tu respexeris illum,
  Annuerisque mihi ferre benignus opem;
Ipse tibi acceptam referet, *Ceballe*, salutem,
  Denuo qua valeat civibus esse salus:
Et te rem ingenio dignam fecisse juvabit,
  Atque animi dignam nobilitate tui.

Ad suum Hortulum suburbanum

ODE.

Salve, mi Hortule, bisque, terque salve;
Deforme ante solum, aridum, inviumque,
Te æquari, subigi, feraxque fimo
Feci evadere diligens colonus,
Augeri latice affatim fluente,
Cingi pariete sat bono, serique
Concinno ordine arbores, olusque, et
Plantas vi medicâ efficaciores;
Exstruique humilem domum hortulano,
Et stirpi teneræ hospitale tectum,
Tutelam à gelidæ rigore brumæ.
Salve, ò! delicium, ò! meum levamen!
En trigesima jam recurrit æstas,
Ex quo adhuc juvenis docere cœpi
Plantarum genera, indolesque, et usum,
Gratus discipulis, eisque charus;
Adeptus modo præmium laboris,
Ad te confugio; Hortule, ò! voluptas!
Hortule, emeriti senis levamen:
Te ego naviter excolo, excolamque,
Adjuvante operâ impigri hortulani,
Manè, et vespere singulis diebus,
Donec vixero, singulis diebus.
Hìc plantas serere atque eas rigare
Me juvat, sterilem amputare ramum;
Naturæ ars juvat æmula inserendi,
Lustrantem mea regna sat beatum;
Hìc curis animus solutus ardet
Et flores legere elegantiores,
Et decerpere poma inambulando

In xysto, vel opaco in arboreto,
Ubi æstum arceo frigida sub umbrâ.
Hìc lego, aut animo audio sereno
Galliæ rabiem tumultuantis,
Vim, flagitia, militum rapinas,
Scelesta ausa ducum, ducum impia ausa,
Cædes, prælia sæva, luctuosos
(Fas sit dicere) Principum triumphos.

Ad eundem Hortulum suburbanum

ODE.

Vitæ ò delicium, Hortule, ò levamen!
Tu quies mea, tu salus, senectam
Protrahens hilarem, et facis beatam.
Quàm bene otior in tuo recessu
Inter lilia, salvias, acanthos,
Irides, cytisos, crocos, genistas,
Myrtos, neria, fraxinos, ligustra,
Narcissos, violas, thymos, rosasque!
Quàm sæpe hìc Ciceronis, aut Catonis
Scripta, aut carmina Virgili, aut Horati,
Vel Cervantesii liber, redundans,
Argutis animum jocis, relaxant!
Hìc mundis epulis dapes inemptas
Convivis quatuor, tribusve amicis,
Et poma, et pyra, prœcocesque ficus,
Libet denique pocula exhibere
Potandi impavidè meri *Tepensis.*
Hìc me conveniunt frequenter, et me
Sodales comitantur ambulantem, aut
Sedentem, nova nuntiant, venustos

Sermones variant, et eruditos
Sesseus lepidus, *Ruiz* severus,
Mocignus gravis, et *Pavon* facetus,
*Alcedus*que dicax, silere amansque
Gilabertius, et sagax *Quesada*,
Soldevilla probus, pudensque frater,
Modestus simul, ac *Marina* doctus,
Et prudens, sapiensque *Villamillus*,
Conjuxque optima, semper et mî amica.
Hîc stirpes properantis edidisse
Pro ignotis veteres, novisque notas,
Libros, aut potius lego libellos,
Et convicia rideo, irritasque
Cavanillesii æstuantis iras;
Contra phytologos peritiores
Enitentis opus suum tueri;
Cavanillesii pudet miselli,
Pudet me miseré æstuantis iras.
Hîc naturæ opera intuens, stupensque,
Haud gratorum hominum creata in usum,
In Factorem animum erigo supremum,
Supplexque omnipotens adoro Numen.

CARMINUM

LIBER TERTIUS,

NAPOLEONIS MILITIBUS PLERASQUE

HISPANIÆ PROVINCIAS OCCUPANTIBUS.

De Statu Veneto, Germanorum Imperatori nuper attributo,

EPIGRAMMA.

»Bella gerant alii, tu, felix Austria, nube:»
Tu Veneto, felix Austria, nube Mari.

De Josepho Napoleonis fratre, antea causidico,

EPIGRAMMA.

Causidicus Joseph de Regno litigat armis:
Dii faxint, litem perdat et hanc etiam!

De Napoleonis militibus per Hispaniam grassantibus

ODE.

Ergo nec finem invenient, modumve
Tot mala? incassumque Deum vocabo?
Et nostra, hucusque inclyta, Gens Ibera
Tota peribit?
Proditor summo imperio potitus,
Fœdus obtendens dedit heu! maniplis
Exteris arces penetrare, firmas
Arte, situque.
Quemque fas tandem fuerat perisse,
Vindice exorto populi tumultu;
Hunc tamen Galli Hesperiæ imperarunt
Vivere damno.
Tunc, velut prædas agitans per auras
Innocentem atrox aquila in columbam
Præpeti penna ruit, et recurvo
Proripit ungue.
Haud secus Princeps, amor, et suorum
Spes, fidem verbis adhibens dolosis,
Fraude captivus, trucis occupatur
Præda tyranni.
Ecquis infletam recolat secundam
Heu! diem Maji, moritura qua plebs
Cogitur turmas capere arma contra
Viribus impar.
Abripi insontes dein, atque inermes
Obvios quosque, horrificâ insequenti
Nocte mactandos miserè, oppidanos
Mantua vidit.

Barbaros Gallis malè fœderatos,
Mantuam imbellem properè obsidentes
Vidimus, prædas agere, et cruentas
Edere cædes.

Horridum audîmus sonitum tubarum,
Militum murmur, fremitumque equorum,
Vidimus nostras jaculari in ædes
Fulmina belli.

Coctilem murum impavidè tuentes,
Vincere et certos, vel obire mortem
Incolas, tandem oppidum, et arma pactis
Tradere cogi.

Pacta non servata, fidemque fractam
Vidimus, versa omnia, furta, clades,
Exigi et vultu, et gladio minaci
Jussa tributa.

Optimam partem Hesperiæ occupari,
Urbium stragem, excidia oppidorum,
Arva desolata, et ad arma adactos
Rure colonos.

Virginum, et matrum violationes,
Diripi, atque incensa flagrare templa,
Projici (infandum!) sacra, polluique
Vidimus aras.

Partium in contraria adire cives,
Hispanos duces fugere haud pudere, et
Consilî ignaras validas phalanges
Tradere Gallis.

Deinde juratos furere, hostiumque
Agmina augere Hesperios, ibique
Vidimus gnatos capita in parentum
Stringere ferrum.

Jam satis culpas luimus, deinceps
Integri, puri, et pii exstituri,
Vos precamur, diva potens Maria, et
Sancte Jacobe,

Principes nostræ Hesperiæ Patroni,
Optimæ causæ faciles favete,
Et laboranti Patriæ benignam
Tendite dextram.
Perfidè agressum date sternere hostem,
Impius prædo cadat, atque terris
Cuncta de cœlo bona deferentem
Mittite Pacem (1).

De tyranno *Bonaparte*, Hispanos, quo tempore ob anni sterilitatem extrema fame laborabant, stipendia suis militibus solvere cogente,

EPIGRAMMA.

Non hostes *Bonaparte*, suos decepit Amicos:
Bello illos perimit, hos homicida fame.

(1) *Hæc cecinit Auctor, Patriæ, et Regis amore correptus, et quibusdam amicis, non sine vitæ discrimine, recitavit, quemadmodum nonnulli eorum, honestissimi quidem viri, qui superstites inter nos adhuc versantur, libenter testabuntur.*

TRADUCCION LIBRE.

No engañó, no, Bonaparte
A sus bravos enemigos,
A quien engañó con arte
Fué en rigor á sus amigos:
Intenta quitar la vida
Con la guerra á los primeros:
La quita cruel homicida
Con el hambre á los postreros

Ad Philippum, Majorum suorum nobilitatem assiduè jactantem,

EPIGRAMMA.

Nobilibus cupiens adscribi haud nobilis ipse
  Versuti scribæ poscere cogor opem.
Is me confestim Gothorum è Regibus ortum
  Conjicit, et variâ subdolus arte probat.
Mortales sanè ex Adam proficiscimur omnes,
  Qui Rex, atque Parens primus in orbe fuit.
Obscurare alios potuit dein improba egestas,
  Facta, et divitiæ nobilitare alios:
Verum ni virtus sustentet nobilitatem,
  Vana, Philippe, mihi est, fictave nobilitas.

Ad quendam Amicum, corporis viribus, ingeniique vi pollentem,

EPIGRAMMA.

Oh! cunctis nostræ absdubio sapientibus ævi
  Hispano excellens, Gallico et eloquio;
Qui reliquis præstas scribens sermone soluto,
  Ornatuve canens carmina docta pari;
Cuique invicti animi luctator robore nullus,
  Impavidus quamvis, se æquiparare velit,
Crassus ego haud ausim tecum contendere, tecum
  Corporis exigui, maximi at ingenii.

Ad Joannem *Melon*, de Agricultura scriptorem,

EPIGRAMMA.

Melo, qui Hispanos docuisti, Junius alter,
  Agros conveniat qua ratione coli;
En ego dum Sophiam, et Musas sequor unicè, et arva,
  Me incautum invadit improba pauperies.
Tu Sophiæ cultor, tu nostri gloria ruris,
  Tu mea de campis scripta probare soles.
Eja age: mî præter victum nullius avaro
  Ne renuas, *Melo*, ferre benignus opem.

Joanni *Palareæ*, Medico docto, et strenuo exercitûs Centurioni,

EPIGRAMMA.

Qui modo reddebas vitam mortalibus ægris,
  Exercens Artem doctus Apollineam;
Nunc validè pugnans multos interficis hostes,
  Turpi adigens reliquos vertere terga fugâ.
Jam Dux, jam Medicus, semper, *Palarea*, saluti
  Dilectæ nostræ prospicis Hesperiæ.

Clariss. viri, Caspari Melchior. *de Jovellanos* imagini subjiciendum

EPIGRAMMA.

Ecce *Jovellanus*, decus inmortale suorum,
  Altera et Hispanæ gloria rara togæ.
Fortunam constanti animo superavit utramque,
  Victor nequitiæ, victor et invidiæ.
Scripta notent tantùm, præclaraque facta coævi:
  Illa omnis recolet libera Posteritas.

Martino *Fernandez de Navarrete*, R. Studiorum Matritensium Præfecto, gratulatur.

EPIGRAMMA.

Ut te Præfectum Studiis rescivit Apollo,
Navarrete, Deæ Palladis unice amor;
Hoc erat in votis, inquit: sed non tibi solum,
Ast toti Hesperiæ, gratuler ipse, jubet.
Id conatus ego, sat me fecisse putabo,
Si tenue indulgens hoc Epigramma probes.

Ad Joachimum Joann. de *Flores*

EPIGRAMMA.

Te, dirâ oppressum, subitâque nephritide letho,
Charum ipsi, et nobis, te Deus eripuit.
Illico decocti uvæ ursi tibi consulo potum,
Ne excruciet te iterum, conficiatque dolor.
Interea emeriti posco ipse Academici honores,
Te, *Flores*, votis, sponte favente meis.
Sic ego consilio medeor tibi, corporis ægro;
Tu me, ægrotum animi, suffragio relevas.

Josepho *Mozigno* in ejusdem natali die

EPIGRAMMA.

Jam redit illa dies, quum primùm contigit aurâ
  Vitali vesci, dulcis amice, tibi.
Hanc, quoties redeat, læti, *Mozigne*, canemus:
  O! utinam semper lætior hæc redeat!
Carmina pangemus, si non te carmina digna,
  Sesseus noster quæ tamen ipse probet.

Josephi *Mozigni* ad amicum suum, Casimirum *Ortegam*,

EPIGRAMMA.

Carmen, quo tua mi permultos augurat annos,
  Natalemque meum docta Camœna canit,
Non modo mortale hoc, quo fungor, protrahet ævum,
  Sed me etiam æternum vivere amica dabit.
Nam cùm jam fato seri cesserimus ambo,
  Migraturi ambo, spero equidem, ad Superos;
Dulcis amicitiæ, quæ nos, *Ortega*, ligabat,
  Carminis, atque tui fama supertes erit.

Ad Josephum *Mozignum*, præstantissimum Medicum, suum natalem restituta valetudine celebrantem,

EPIGRAMMA.

Arte tua ereptos ut vidit morte tot ægros,
  Servanti irata est Parca, *Mozigne*, tibi.
Interea dirum morbum, atque infanda pericla
  Te insontem immitis fecit adire Dea.
Naturæ studium qui te doctore colebant,
  Mœrent, atque ægri Numina sancta vocant.
Te, ipsorum, sortemque tuam miseratus Apollo,
  Liberat, atque abigi cuncta pericla jubet;
Utque tuum natalem hodie celebremus amici,
  Te ægris, te sociis, te tibi restituit.

Ad Josephum Antonium *Conde*, jampridem cœlibem,

EPIGRAMMA.

Plerumque inculti, et dirâ asperitate ferocis
  Emollit mores fæmina nupta viri.
Cœlebs mellitos mores, adeoque venustos
  Angelicis similes, optime *Conde*, geris;
Ut fera quamtumvis à te mitesceret uxor,
  Siqua foret mulier nubere digna tibi.

Auctoris Somnium, cùm quodam die in Ducis del *Infantado* ad *Chamartinum* hortos, Neapoleonis copiis paulisper Valentiam recedentibus, divertisset.

EPIGRAMMA.

Lectus erat, quo Napoleo dudum ipse cubarat,
 Omnis mente agitans Hesperiæ excidium;
Quando ego heri, villæ peragrato rure propinquo
 Cogor fessa illo membra levare toro.
Lumina vix somno dederam, cùm en umbra tyranni
 Circumagi ante oculos visa repente mihi est.
»Hìc, ubi ego evigilans, *inquit*, meditabar Iberûm,
 »Atque alia Imperio subdere Regna meo,
»Fratre fugato iterum, vacuum, curisque solutum
 »Tam placidos somnos carpere te patiar?
»Ad Boream Fortuna equidem, nostræ invida laudis,
 »Turmis opposuit sæva elementa meis:
»Ast ego militibus conscriptis undique, victor
 »Festinabo Aquilas figere Petropoli.
»Rursus in Hispanos mox ipse tot agmina ducam,
 »Quot nitido fulgent sidera fixa polo;
»Prosternamque acies, viduabo civibus urbes,
 »Et miles meus hæc advena rura colet.
Vix ea fatus erat, Furiæ cùm protinus illum
 Circunstant, et se pone subire jubent:
Cunctantem Diræ, spumantique ore frementem,
 Cùm strepitu in stygium præcipitant barathrum.

TRADUCCION LIBRE.

En aquel lecho en que ántes el Tirano
Segun costumbre desvelado estaba,
Y de España la ruina meditaba,
Ayer me cupo la sensible suerte
De recostar los miembros fatigados
Con el paseo del Jardin y Prados:
Dormido estaba apenas quando al punto
Se presenta á mi vista y me rodea
De Napoleon la sombra adusta y fea.
»Aquí, *me dice*, donde desvelado
»Yo discurria en sujetar á España,
»Y añadir reynos á mi cetro y saña;
»Mi hermano por dos veces repelido,
»¿Te dexaré, Español, en tanto empeño
»Seguir tranquilo en tu apacible sueño?
»Ácia el Norte por cierto la Fortuna,
»De mi fama envidiosa, á mis intentos
»La furia ha opuesto de los elementos:
»Mas yo conscribiré de todas partes
»Tropas de Francia y tropas extrangeras
»Que en Petersburgo fijen mis banderas.
»Volveré luego victorioso á España
»Trayendo huestes tantas y tan bellas
»Que puedan competir con las Estrellas.
»Destruiré sus exércitos; el reyno
»Asolaré implacable, y mis soldados
»Repoblarán sus campos dilatados.
Aquí llegaba, quando apresuradas
Cercándole las Furias de repente
Le intiman que las siga prontamente.
Repugna en vano: y de corage gime:
É inflexibles las Diosas del Averno
Vivo le precipitan al Infierno.

In obitu illustriss. D. Ariæ Antonii Mon, in Gallia exulantis,

EPIGRAMMA.

Salve, ó Castellæ Præses, Mon, digne senatûs!
Æqui defensor, propositique tenax.
Tu leni, tu invicto animo, et virtute resistis
Murati illecebris, prægravibusve minis,
Ut Catilinæ urbis stragem, excidiumque minanti
Impavidus consul restitit et Cicero.
Tu actus in exsilium, tandem imperterritus usque,
In cœlum placidâ morte beatus abis.
Ipse adeo effigiem tibi nunc de marmore ponam,
Et Patris Patriæ subjiciam titulum.
Atque inter Daozi, et Velardi signa, ruentes
Pro Patria mortem qui oppetiere suâ,
Martis utrique viro splendenti insignibus unus
Adstans tu in medio suspiciere togâ.

De Napoleonis *Bonaparte* in Elba exulantis monetæ Inscriptione: *Napoleo primus, ubicumque felix*,

EPIGRAMMA.

Dum miseros homines reddat *Bonaparte* ubicumque,
Se sat felicem credit, ubique ferox.

CARMINUM

LIBER QUARTUS,

POST EXACTAS EX HISPANIA

NAPOLEONIS TYRANNI COPIAS.

In FERDINANDI VII, optatissimi Regis, è captivitate reditu,

EPIGRAMMA.

Militis aggressus virtutem extollere Iberi,
  Quæ hostes Pyrenes trans juga celsa fugat,
Jam rediturum etiam portendi carmine REGEM,
  REGEM spem populi, deliciasque sui.
Tunc, si non merui nomen, laudemque Poetæ,
  Me saltem ut Vatem quis cecinisse (1) neget?
Eja redit populi Hispani PATER, optimus et REX,
  Quicum Relligio considet alma throno.
Justitia, et Leges redeunt, æternaque cunctos
  Libertas cives respicit Hesperios;
Nam *libertatem* cui Gens stricto ense redemit,
  Unquam, etsi valeat, REX volet eripere?

(1) *Non enin Cicero solùm, quæ vivò se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc usu veniunt, cecinit ut Vates.* Cornel. Nep. *in* Vita Attici.

Con motivo del regreso de nuestro idolatrado Rey Fernando VII

EPIGRAMA.

TRADUCCION LIBRE.

Quando aplaudí el valor de nuestras huestes,
Terror y espanto del francés soldado
Mas allá del Pyrene rechazado,
Del Rey tambien pronostiqué la vuelta,
Del Rey que á la Nacion concede el Cielo
Para su apoyo y su cabal consuelo.
Si entónces por lo inculto de mi acento
No merecí el renombre de Poeta;
¿No fuí siquiera entónces buen Profeta?
Ya el Rey, ya el Padre de los Pueblos vuelve,
Y con la Santa Religion Fernando
Subirá al Trono, promediando el mando.
La Justicia renace con las Leyes,
Que el buen órden á España la procuran,
Y *libertad* eterna la aseguran;
Pues no cabe que un Rey que debe al brio
De la Nacion ser *libre*, jamas quiera
Volverla á esclavizar, aunque pudiera.

De ALEXANDRO Maximo Rusiæ Imperatore, de tyranno Napoleone sub initium anni M.D.CCC.XIV. triumphante,

DISTICHUM.

Præstat ALEXANDER nunc id, quod Morpheus ante
Fecisse iratas finxerat Eumenidas. (1)

Ad Ignatium de *Jauregui*, FERDINANDI REGIS in captivitate Medicum, nunc ejusdem Archiatrum,

EPIGRAMMA.

Jauregi, qui REGEM medicâ præclarus in arte
Incolumem Hesperio restituis populo,
Tu REGIS spectata salus es dignus haberi,
Prout Rex Hesperiæ est totius ipse salus.

(1) *Vide Auctoris Somnium pág.* 88.

Ad Hortum R. Botanicum Matritensem, simulque ad Ferdinandum Regem post reditum è captivitate primo illum perlustrantem,

EPIGRAMMA.

Horte, salutiferis, et olentibus inclyte plantis,
Dulcis cura olim, deliciumque meum,
Nunc deformis ager, dumis, et sentibus horres,
Hosti præda ipsi vel miseranda fero.
Arbos heu! moriens aret, lætissima dudum
Arbusta illacrymant, omnis et herba perit.
Teque adeo, bone Rex, te, Ferdinande, vocabat,
Et Flora instanti voce petebat opem.
Illico ades Divæ motus clamoribus æquis,
Extemploque omnis stirps rediviva viret.

Ad Illustrissim. Dom. Isidorum *de Cœlis*, Episcopum Segoviensem, carminibus editis Ecclesiasticorum causam tuentem,

LUDUS POETICUS.

De Cœlis Isidore, sacri Gregis optimus æquam
Patronus causam Præsul amanter agis.
Vexare ergo illos jam cesset Censor iniquus,
Divini cultûs queis sacra cura data est;
De Cœlis delapsam etenim fateatur, oportet,
Quæ aflavit versus hos tibi, Pieridem.

Ad Emmanuelem *Abella*, *Alleni* Opusculum Londini suis impensis edentem,

EPIGRAMMA.

Carmina, quæ *Allenus* pepigit sermone Latino,
  Edi, Hispanè etiam reddita, *Abella*, facis.
Nescio præclaro vati num gloria major,
  Patrono an vatis sit tribuenda tibi.
Cæsaris Augustæ dum famam extenditis urbis,
  Æternum reddit nomen uterque suum.
Obtinet *Allenus* decus immortale Poetæ,
  Asseris egregii civis, *Abella*, decus.

Ad Ambrosium *Ruibambam*, R. Historiæ Academiæ Socium, et fautorem,

EPIGRAMMA.

Historici Hispanæ Americes Academia nostra
  Munus, quo multò functa erat ante, petit.
Illico ades socius doctus, fautorque benignus,
  Et nos officiis, consiliisque juvas.
Te curante etiam nobis Rex optimus æquo
  Persolvi census præcipit imperio.
Grato ergo certatim animo sacrabimus omnes
  Immortale tuum nomen in Historia.

De Antonio *de la Cruz*, egregio Naturalis Historiæ Magistro,

EPIGRAMMA.

Facta hominum multi explicuerunt: *Cruzius* autem
Ipsius exponit facta stupenda Dei.

Exmo. D. Antonio *Capece*, *Ganosæ* Principi, in R. Historiæ Academiam cooptato,

EPIGRAMMA.

Hispanis quòd Rex decorat te insignibus ultro,
Canosæ Princeps, gratulor ipse tibi.
Sed quòd te Historiæ docta hæc Academia doctum
Adscierit socium, gestio lætitiâ:
Præstat enim titulis hic honor namque omnibus unus,
Præstat uti virtus et Generi, et Proavis.

Ad Seren. Hispan. Infantem, CAROLUM BORBONIUM, Vallisoletanæ Academiæ patrocinium suscipientem,

EPIGRAMMA.

CAROLE, præsidium, decus, et spes altera Regni,
  FERNANDI Augusti Frater, et alme Comes;
Virtutum Hispanâ, morumque exemplar in Aula,
  Et Juvenum Princeps, Militiæque Caput;
Tu studia utilia, ingenuas tu respicis Artes,
  Et Disciplinas protegis ipse graves.
Vallisoleti ideo Patrem te Academia clamat,
  Exsultatque novo clara patrocinio.

TRADUCCION LIBRE.

CARLOS, apoyo y esplendor del Reyno,
  Nueva esperanza del Imperio Hispano,
  Fiel compañero del Augusto Hermano,
En el Palacio de virtud modelo,
  Joven bizarro que entre todos brillas,
  Idolo de la tropa que acaudillas;
Tú los estudios útiles fomentas;
  Tú las Artes y sérias Disciplinas
  Con espontáneo celo patrocinas.
De Valdolid por eso el Ateneo
  Del nuevo lustre ufano le pregona,
  Y de tan alto Protector blasona.

Joanni Baptistæ de *Arriaza*, Poetæ egregio, gratulatur.

HENDECASYLLABI.

Cognomen quoniam tuum, *Arriaza*,
Heroo penitus pedi resistit,
Ut nostra imperat Ars, nimis severa,
His saltem Hendecasyllabis licebit
Te salvere jubere, gratulari, et
Præmio te decorasse pervenusto,
Te Regem, decus, *Arriaza*, Pindi,
Optimè, decorasse, te merentem.

De Imbribus, et Serenitate per plures dies Februarii in Carpetania alternantibus anno M.D.CCC.XV.

EPIGRAMMA.

Manè pluit toto, splendent noctu astra vicissim:
Sic facit Agricolis Otia læta Deus.

Ad FERDINANDUM REGEM, Scientiarum Natural. Academiam instituentem,

EPIGRAMMA.

Naturæ studium, cultum telluris, opesque
Quod nostræ Hesperiæ protegis, atque foves;
Tum Naturæ Opifex, tum Gens, REX optime, Ibera
Munere retribuant præmia digna tuo.

De Inscriptione facinorum D. *Wellington*, editâ à D. Nicolao Maria de *Sierra*,

EPIGRAMMA.

Ut captæ Trojæ vix fama maneret Achillem,
Æternum Iliadis si latuisset opus;
Sic *Wellingtoni* virtutem, et fortia facta
Delere inciperet denique tempus edax,
Præstanti ni *Sierra* stylo sculpsisset in ævum,
Tanti percelebrans inclyta gesta Ducis.

Ejusdem D. Nicolai de *Sierra*, Amico carissimo, Casimiro *Gomezio Ortegae*, Librum suum, *Otia*, *et Lusus*, dono mittentis,

EPIGRAMMA.

Da veniam Scriptis, quorum non gloria causa,
Sed studium nobis, officiumque fuit.

Ad D. Nicolaum Mariam de *Sierra* de suis *Otiis*, et *Lusibus*, Silvii Philomusi nomine recens editis,

EPIGRAMMA.

Non mihi sylvestris, Silvi, tua Musa videtur:
Urbem culta mihi sed tua Musa sonat.
Perge ergo Judex jus reddere cuique petenti,
Et mulcere æquus pectora mœsta rei;
Ast dum docta licet, Philomuse, per otia, perge
Urbanâ quoque nos exhilarare lyrâ.

Exmo. D. D. *Divi Caroli* Duci, Supremo Regiæ Domûs Æconomo,

EPIGRAMMA.

Ó *Sancarle*, ó digna Atavis, Pizarrica proles,
   Qui Hesperiam auxerunt Peruviæ Imperio;
Nosti, quanti Avus illustris me fecerit ultro,
   Et quanti doctus me Pater ipse tuus.
Tu, qui Majores cunctis virtutibus æquas,
   Lenitate illos longè etiam exsuperas;
Vexato invidiâ, obscurato et criminis umbrâ,
   Num, quæso, insonti quin faveas, dubitem?

Illmo. D. Josepho Joachimo *Colon*

EPIGRAMMA.

Christophori ô sanguis, Joseph Joachime, *Columbi*,
   Detecto impavidè nobilis orbe novo,
Ille atræ invidiæ ignavorum, plurima passus,
   Æquo animo vivens præda nefanda fuit.
Progeniem ast obiit lætus se linquere longam,
   Æterni hæredem nominis atque sui.

Ad Illustris. Vir. D. Gonsalvum Jos. de *Vilches*

EPIGRAMMA.

Vilches, supremi præclare Decane Senatûs,
Lumen, et hispanæ gloria rara togæ,
Pressus livore, atque efficti criminis insons,
Recti, ad te, vindex, ecce ego confugio.
Adsis, ne peream, oro te, Gonsalve, tuamque,
Æger, inops, senior, quam peto, confer opem.

Illmo. D. Emmanueli de *Lardizabal*

EPIGRAMMA.

Lardizabal, ego qui à te, doctissime Judex,
Alsolvor falsi criminis opprobrio,
Haud valeam verbis grates persolvere, nedum
Reddere, quas merito debeo jure tibi.
Nam me commendas Regi, civemque fidelem
Declaras, sanctè jura sacrata colens;
Reddaturque, facis, census mihi pristinus, atque
Plus vitâ charus restituatur honos.

In quemdam detractorem, infidelitatem Auctori per summam injuriam objicientem,

EPIGRAMMA.

Versibus *intrusum* quidam laudarat ineptis;
  Quæ emendare, nova aut pangere præcipior.
Concilium finxi Divûm, et Jovis, isque tyrannis
  Fratribus attribuit munus utrique suum.
Tu, cujus vultum non vidi, conjicis inde,
  Intruso Regi me studuisse nimis.
Sed tu tectam artem nescis, temerarie, nescis,
  Carmina qua invito lusa fuere mihi.
Quomodo Rex siquidem gereret se, non ego scripsi:
  Deberet, scripsi, quomodo se gerere.
Ergo aut indocti, aut infidi interpretis, audax
  Detractor, turpi fungeris officio.
Me interea civem FERNANDUS REX sibi gratum,
  Me insontem, et fidum judicat esse virum.

Didaco *Clemencin*, Auctorem in R. Hispanam Academiam cooptandum commendanti,

EPIGRAMMA.

„Non, mihi si centum linguæ sint, oraque centum,„
Aut par eloquio, *Didace* amice, tuo;
Sat dignas ullo tibi tempore reddere grates
Ipse, licèt pleno moliar ore, queam.
Tu facis elinguem prope, me numerarier inter,
Qui Linguam curant, expoliuntque, viros.
Horum doctâ operâ nunc sermo Hispanus, uti aurum
Igne, *repurgatur*, *figitur*, *atque nitet*. (1)

Ad Januarium *Azconam*, virum doctum pariter ac modestum,

EPIGRAMMA.

Qui bene me nosti, causamque, *Azcona*, probasti,
Quæ bona jampridem, justaque visa tibi est,
Quod suadet te æqui studium, probitasque, tueri
Impavidê causam, te rogo, perge meam.

(1) *Traduccion literal del Lema de la Divisa de la Real Academia de la Lengua Española*: LIMPIA, FIJA, Y DA ESPLENDOR.

Excmo. D. Josepho *Pizarro Garcia de Leon*, Majorum suorum, et sui ipsius virtutibus perillustri,

EPIGRAMMA.

Si pravas Macrini artes agitantis in Aula,
  Qui rabidè haud cessat carpere facta mea,
Æqui custodi Regi patefeceris, et sic
  Invidiæ exemplar sternere humi properas;
Claris majorum, ò præstans *Pizarre*, tuorum
  Jam poteris factis adjicere hoc facinus.

Viro clariss. Ferdinando *de la Serna* Vincentium *Guarnerium*, Medici sibi amicissimi filium, commendat.

EPIGRAMMA.

Guarnerium commendo tibi, doctissime *Serna*,
  Quem sanare ægrum nec pater ipse potest.
Florentem ætate, ingenio, studiisque Minervæ,
  Iam pene exanimem non medicina levat.
Tu servare unus vitam infelicis amici,
  Tu mî illum incolumen reddere, *Serna*, vales.

In adventu celsissimæ D. MARIÆ ELISABETHÆ, Lusitaniæ Regis filiæ, FERDINANDO VII, Hispaniar. Regi, desponsatæ,

EPIGRAMMA.

Salve, FERNANDO REGI nuptura MARIA
ELISABETH, properam progeniemque dato.
Salve, ò ELISABETH, et FERDANDI aurea Quinti,
Magnæque ELISABETH tempora restitue.

TRADUCCION LIBRE.

O MARIA ISABEL, guárdete el cielo,
A fin de que del Rey FERNANDO Esposa
Nos des en breve sucesion copiosa.
Salve, y de España sé nuevo consuelo,
El glorioso Reynado renovando
De ISABEL la *Católica* y FERNANDO.

In adventu Celsissimæ D. MARIÆ FRANCISCÆ, Lusitaniæ Regis filiæ, CAROLO BORBONIO, Hispaniar. Infanti, desponsatæ,

EPIGRAMMA.

Appulit en Gades exoptatissima Princeps,
  Et gestit jungi, CAROLE, sponsa tibi.
Ergo vive diu: vivet spes altera Iberûm,
  Dum Conjux, dum Tu vixeris incolumis.

TRADUCCION LIBRE.

Tan deseada, como bien venida,
  La INFANTA en ălas de su gran ternura
  A tí, ó CARLOS, á unirse se apresura.
Vive pues, y gozando larga vida
  Con tu ESPOSA, del REY y su Corona
  Vivirá el firme apoyo en tu persona.

Serenissimo Domino ANTONIO BORBONIO, Augusto Hispaniarum Infanti, Potentiss. Regis FERDINANDI VII. Patruo, cùm Complutensis Academia ejus tempora Doctorali laurea redimiret,

EPIGRAMMA.

Non tam Compluti doctrix Academia jactat
  Se AUGUSTI INFANTIS grata patrocinio;
Quàm Te, cum Physices, tum Chymiæ amore flagrantem,
  Doctorem in gremio gestit habere suum.

TRADUCCION LIBRE.

No tanto el gran Compluto se envanece
  Al disfrutar la proteccion ufano
  del TIO AUGUSTO DE SU SOBERANO;
Como al ver á un INFANTE que entregado
  De la Física y Químia á los amores
  Hoy toma asiento al par de sus Doctores.

Ad FERDINANDUM REGEM, expectatissima sobole auctum, simulque imminutis populorum tributis ter felicem,

EPIGRAMMA.

Aurea jam redeunt FERNANDI sæcula QUINTI,
ELISABETH MAGNÆ sæcula jam redeunt;
„Jam nova progenies cœlo demittitur alto,„
Hesperiæ, ELISABETH tertia, delicium.
Nunc etiam, FERNANDE, novus jam nascitur ordo
Pendendi posthac justa tributa tibi,
Queis res Hispanas tuearis, moribus ornes,
Splendidus Augustam sustineasque Domum.
Augentur quianam tua vectigalia, dum tu
Plaudenti populo gratior illa levas.
Regnarat dudum post Reges putidus error;
Jam tu unus patrio nos regis imperio.
Eja agito insuetum, atque ulla sine cæde triumphum,
Nam tua sunt iterum Regna recepta tibi.

Ad Excmum. Dom. Martinum *de Garay*.

EPIGRAMMA.

Exsultabat ovans, captivo Rege recepto,
Perpetuò invictus, denique victor Iber.
Exhausti tamen hunc, alienoque ære gravati,
Torquebat minitans Imperii excidium.
A Rege adscitus properas sucurrere, et uno
Consilio Hispanas res citò restituis.
Hesperiæ defensæ igitur legionibus æquè,
Pugnanti ac populo debita laurus erit:
Quis, Garaye, autem dubitet, quin proxima Regis
Servatæ Hesperiæ sit tribuenda tibi?

Pompejus Romam triumphaturus redux, defensæ sibi Reipublicæ gloriam, Ciceroni servatæ laudem deberi ajebat.

Ad Illustrissimum D. Petrum Innocentium *Vejarano*, Episcopum Segontinum, Fautorem suum beneficum,

EPIGRAMMA.

Ut, *Vejarane*, tuas diri pervenit ad aures
  Fama ignis, quo arsit nostra repente domus,
Protinus ampla mihi, scribens, solatia præbes,
  Omnimodamque offers, me miseratus, opem.
Strage itaque in media felicem me reputabo,
  Qui tanti auxilium Præsulis experior.
Sic, jure at potiore, à Christo culpa redempta,
  Felix prima hominis culpa vocata fuit.

Ad Excellentiss. Dom. Ducem de Hijar, Chemicæ Officinæ in Aula Regia Præfectum,

EPIGRAMMA.

Inclyte Dux, quòd Rex te elegit, Chemiæ amantem,
  Hijar; discipulis, non tibi consuluit.
Florebit siquidem sub te studiosa juventus,
  Auspice te posthac præmia digna ferens.
Te, exculto ingenio instructum, dein, celse Patrone,
  Perpetuo obsequio Chemia culta colet.

De Batilo, clariss. Poeta Hispano, qui nuper extra Patriam miserè occubuit,

EPIGRAMMA (1).

Hæc est, Naiädes, Lyra, quæ pulsata Batilo
  Reddere divinos sueverat ante sonos;
Cujus ope, et dulci vocis modulamine *Thormis* (2)
  Undarum cursum detinuisse ferunt.
Lauro, quam foliis toties nudarat amica,
  Cingeret ut vati tempora docta, Venus,
Lauro, inquam, in nemore umbroso, semperque virenti,
  Isthæc Batili pendeat usque Lyra.
Clarum intacta, silens domini tantummodo nomen,
  Frondentes ramos vento agitante, sonet.
Interea heu! Patriam pudeat monumenta doloris
  Communis tali nulla sacrasse Viro.

(1) Conversum è Carmine hispanico, vulgò *Soneto*, anonymo, et inedito, hîc subjiciendo.

(2) Thormis: » Huic se Thormis immiscet fluvius, aquæ valde salubris, qua utitur *Salmantica*. et à quo cognominatur Alva.» *Luc. Marin. Sicul.* de Rebus Hispaniæ: De Fluminibus, et Fontibus, fol. v.

A la memoria de BATILO (J. M. V.), Poeta Español, que murió ausente de su Patria en este mismo año de 1817,

SONETO (1).

Ninfas, la Lyra es esta, que algun dia
 Pulsó BATILO en la ribera umbrosa
 Del Tormes, cuya voz harmoniosa
 El curso de las aguas detenia.
Quede pendiente en esta selva fria
 Del lauro mismo, que la Cipria Diosa
 Mil veces desnudó, quando amorosa
 La docta frente á su cantor ceñia.
Intacta y muda entre la pompa verde
 Solo en sus fibras, resonando el viento,
 El claro nombre de su dueño acuerde.
Mientras la Patria en el comun lamento
 Feroz ignora la opinion que pierde,
 Negando á sus cenizas monumento.

(1) Inedito, y de Autor desconocido.

Ad clar. virum Emmanuelem M. de *Arjona*, Ecclesiæ Cordubensis Canonicum, et R. Histor. Academiæ sodalem,

HENDECASYLLABI.

Arjona, Aönidum vetus sodalis,
Carmen legi elegans, grave, et venustum,
Quo enixam canis ELISABETHAM
Augustam, SOBOLEMque gratularis,
Extollis meritâque laude REGEM.
Quare ego tibi gratulor, lubensque
Carmen gratulor, optimus poeta
Quo enixam canis ELISABETHAM
Augustam, SOBOLEMque gratularis,
Extollis meritâque laude REGEM.

Ad Joannem *Cean Bermudez*, Scriptorem de ingenuis artibus, et litteris amœnioribus optimè meritum,

EPIGRAMMA.

Bermudez, quondam *Jovellani* insignis Alumne,
Æmule doctoris, fide et amice tui,
A puero ingenium egregium excoluisse per Artes
Ingenuas semper jam tibi cura fuit.
Quid mirum, si rectè adeo, Artificum qui eminuere
Inter nos vitas, et recolis merita?
Mox queis ornavit Romæ dominatio Ibera
Oppida, describis. Nobile prorsus opus!
Sic Patriam, sic Artifices, sic te simul ipsum
Æterno illustras nomine, docte *Cean*.

CARMINUM
LIBER QUINTUS,
INSCRIPTIONES
CONTINENS.

Emmanuelis *de Roda* sepulchrali lapidi incidenda

INSCRIPTIO.

EMMANUELI. DE RODA,
CAROLI. III. REGIS. EX. SANCTIORI. ORDINE. CONSILIARIO
INTIMO QUE EXPED GUBERNATIONIS
NEGOTIIS ADMINISTRO
VIRO. DOCTO. INTEGERRIMO. PRUDENTISSIMO
QUI. INTER AULICOS. VITAM. EGIT. PHILOSOPHICAM
QUI.QUE HONOREM. NON. EX. HONORIS
INSIGNIBUS. QUÆ. NEGLEXIT
SED. EX. VIRTUTE QUAM. COLUIT. UNICE. ADEPTUS EST
HOC. PIETATIS. SUÆ. BONORUM QUE
OMNIUM. JUDICII. MONUMENTUM
MICHAEL. LORIERI AVUNCULO. OPTIMO
P.

Benedicti xiv. Pontif. Maximi

EPITAPHIUM.

HIC. JACET. BENEDICTUS. XIV
QUEM. SIMUL. CUM. CARDINALIBUS
DOCTRINA. ET. PROBITAS
AD. SUMMUM. PONTIFICATUM. EVEXERANT.

De Comitiis ad ejusdem Successoris electionem nimis diu protractis

EPIGRAMMA.

Cùm nullum inveniat similem, quo orbata marito est,
Non ulli properat nubere Roma viro.

In obitu Joachimi *Ibarræ*, typographi præclarissimi,

INSCRIPTIO.

JOACHIMO. *IBARRÆ*
CÆSARAUGUSTANO
QUI. EDITIONUM. EMENDANTIONE
CHARACTERUM. NITORE
TYPORUM. ELEGANTIA
SIBI. ARTI.QUE. NOBILLISSIMÆ
ET. QUOD. MAGIS. MIRERE
SCRIPTORIBUS. IPSIS
QUOS. PENES. UNICE
ARBITRIUM. JUS. QUE. FUERAT
CETEROS. MORTALES. DIGNITATE
GENERE. REBUS. GESTIS. SCRIPTIS
QUANTUMVIS. PRÆSTANTES
IMMORTALES. REDDENDI
ÆTERNITATEM. COMPARAVIT
REGIA. MATRITENSIS. TYPOGRAPHORUM
ET. BIBLIOPOLAR. SOCIETAS
MŒRENS. POSUIT.

Marmoreæ tabulæ, in Hortulo Auctoris collocatæ, insculpta

ODE.

Hortule, ò nostræ columen salutis,
Commodum fessi Senis ambulacrum,
O quies æqua emerito, ò voluptas,
Hortule salve.

TRADUCCION LIBRE.

En este frondoso suelo
Lejos del tropel de gentes,
Gozo gustos inocentes,
Quietud, salud y consuelo.

In obitu Antonii *Pineda*, sui olim Botanices Auditoris,

INSCRIPTIO.

ANTONIO. PINEDA
TRIBUNO MILITUM
BELLICA. VIRTUTE ET SCIENTIA PRÆCLARO
QUI. NATURÆ. ARCANA. INVESTIGANS
IN MEDIO. CIRCUM ORBEM
NAVIGATIONIS. ET. LABORUM CURSU
PRÆ. NIMIA. CORPORIS ANIMI. QUE. DEFATIGATIONE
VITAM. PRO. SCIENTIAR. INCREM. PROFUDIT
IN INSULA. LUZONE
PRID. NON. JUL. ANN. MDCCXCII
CAROLUS IV
DOCTRINÆ. ET. VIRTUTIS. PATRONUS
VIRO SAPIENTI
HOC. MONUMENTUM. PONI. JUSSIT.

In Nosocomii Officinæ Pharmaceuticæ aditu

HEXAMETRA.

Morborum adversus rabiem mortalibus ægris
Hic Ars, hic hominum Pietas valida arma ministrat.

TRADUCCION.

Aquí contra la crueldad
De dolencias enojosas
Prestan armas poderosas
El Arte, y la Caridad.

R. Collegii Chirurgici Barcinonensis Ædibus affixa

INSCRIPTIO.

CAROLO. III. HISPAN. REGI
CUJUS. MUNIFICENTIA
IN. HAC. BARCINONENSI. CIVITATE
COLLEGIUM. CHIRURGOR. COALUIT
ET. HÆ. ÆDES. A. FUNDAM. EXTRUCTRÆ
EIDEM. ASSIGNATÆ.
PETRUS. VIRGILIUS. COLLEGIO. PRÆFECTUS
TANTI. BENEFICII
EXSTARE. IN. HOC. LAPIDE. MONUMENTUM
CURAVIT
ANN. MDCCLXII.

FERDINANDO VII, R. Societatis *de la Esperanza* ædes perlustranti, dicata

INSCRIPTIO.

FERDINANDUS. VII. P. P.
SUPREMUS HUJUS R. SOCIET. PATRONUS
QUÆ. B. M. VIRG. DE LA. ESPERANZA. COGNOMENTO
MULIERIBUS MODESTIS. PARUM TAMEN. CAUTIS
ET. IMBECILLIBUS. ADEO. QUE
EX. FURTIVO CONCUB. UTERO. GERENTIBUS
IPSARUM. FAMÆ. VITÆ. QUE CONSULENS
ET. INFANTICIDIA. PRECAVENS
ABDITUM PERFUGIUM GRATE AC. PIE LARGITUR,
ET. POST. PARTUM. SUIS
SARTO. TECTO. HONORE. REDDIT. INCOLUMES
HAS. ÆDES. REGIO. APPARATU. SEMOTO
PRIVATUS. INVISIT
NONIS. APRIL. ANN. M.D CCC.XV
ET. ALTER. CONSILIAR. ABS. VICE. FUNCTUS
MULIERES. SINGULATIM. VELATA. FACIE
AD. SE. ACCEDENTES. ADLOCUTUS
SIQUID. OPUS. HABERENT DE MORE. SCISCITAVIT
EIS.QUE DEI O. M. REVERENTIAM
ET. PUDICITIÆ. OBSERVANTIAM. COMMENDANS
DEXTERAM. DISCEDENS
OSCULO. BENIGNE. PORREXIT.
JAM. ANTEA. REX. CLEMENTISSIMUS
ANNI. INTEGRI. STIPENDIUM
SOCIETATI. PERSOLVI
CENSUS. QUE. BELLO. DISTRACTOS
RESTITUI. JUSSERAT
NUNC. EGREGIO. INSTITUTO. COLLANDATO
PATROCIN. SUUM. AMPLIUS. IN. DIES
FUTURUM. POLLICITUS. DISCESSIT.

Alia in eisdem Ædibus collocanda

INSCRIPTIO.

SERENISS. INFANTI. CAROLO
PRINCIPI. JUVENTUTIS
SUMMO. REG. EXERCITUUM. DUCI
QUI. HOC. HUMANITATIS. ASYLUM
PERLUSTRANS. DIE. XII. KAL. MAII
ANN. M.D.CCC.XV
ET. EJUSDEM. PATRONUS
CUNCTOR. SUFFRAG. RENUNTIATUS
INSIGNIS. PIETAT. ET. BENEFICENTIÆ
TESTIMONIA. PRÆBERE. NON. CESSAT
REGIA. SOCIETAS
TANTORUM. BENEFICIOR. MEMOR
HOC. GRATI. ANIMI. MONUMENTUM
F. D.

In clar. viri Nicolai M. *de Sierra* laudem

INSCRIPTIO.

NICOLAO. MARIÆ. *DE SIERRA*
SENATORI. INTEGERRIMO. TOGÆ. ORNAMENTO
MUSARUM. DELICIO
QUI. FERDINANDI. VII. SUPREM. CASTELLÆ
SENATUM. INVISENTIS
EXIMIAM. CLEMENTIAM. COMITATEM.
ET SENATORUM. REGI. ADSIDENTIUM
REVERENTIAM. GRATI. QUE
ANIMI. TESTIMONII
DECRETUM. POSTERIS. ELEGANTI
INSCRIPTIONE. COMMENDANS
IMMORTALITATEM. SIBI. COMPARAVIT
VIRO. EGREGIO
HISPAN. ET. ROM. TUM. JURIS
TUM. SERMONIS. APPRIME. PERITO
CASIMIRUS. GOMEZ. ORTEGA
HOC. TENUE. OBSERVANTIÆ. PIGNUS
D. O. C.

In Aulæ R. sacelli vasis sacris, è *platina* fabrefactis, incisa

INSCRIPTIO.

DEO. ÆTERNO

CAROLUS. III. REX

HAS. PRIMITIAS. PLATINÆ

SUIS. AUSPICIIS

FRANC. *CHABANEAU.* INDUSTRIA

DUCTILIS. REDDITÆ

SUPPLEX. CONSECRAT

ANNO. M.D.CC.LXXXVI.

CAROLI III. Regis statuæ ex ære, in foro Burgis maximo positæ,

INSCRIPTIO.

CAROLO. III
QUOD. INTER. FRUCTUOSAS. ARTES
CORIARIAM. FOVERIT
AMPLIFICARIT. ORNARIT
ANTONIUS. *TOME*. BURGENSIS
SUA. IMPENSA. P
ANNO M.D.CC.LXXXI.

Ad ostium R. Horti Botanici Matriti aureis litteris insculpta

INSCRIPTIO.

CAROLUS. III. P. P.
BOTANICES. INSTAURATOR
CIVIUM. SALUTI
ET. OBLECTAMENTO
ANNO. M.D.CC.LXXXI.

Martini *Sarmiento* lapidis sepulchralis

INSCRIPTIO.

HIC. JACET. R. P. MAGISTER
F. MARTINUS. GARCIA. SARMIENTUS
ORIGINE. CALLAICUS. NATUS
VILLAFRANCÆ. VIERZENSIUM
MART. IDIBUS. M.D CXCV
OBIIT. MATRITI. VII IDUS DEC. M D.CC.LXXII.
INDIARUM. ET. SUÆ. CONGREGATIONIS
BENEDICTINÆ HISTORIOGRAPHUS
THEOLOGUS. NON. OPINATOR
MÁTHEMATICUS. NON. SUPERCILIOSUS
PHILOSOPHUS. SINE FASTU
CRITICUS. PHILOLOG. NATURÆ. INVESTIGATOR
ET. UT. PAUCIS. ABSOLVAM,
INNOCENTISSIMIS. MORIBUS,
ANIMI. CANDORE. LINGUARUM, PERITIA.
SINGULARI. QUE. PLURIMAR. DISCIPLINAR COGNITIONE
ET. RECTO. USU. VERUS. SAPIENS
LIBRIS. EDITIS. CLARUS,
CLARIOR. TAMEN. OB. MODESTIAM. INEDITIS
INSIGNE. DEMUM. SUÆ. CONGREGAT.
GENTIS, ÆTATIS. DENIQUE. ORNAMENTUM.

Excmo. Josepho *Mognino*, Comiti *de Floridablanca*,

INSCRIPTIO.

JOSEPHO. MOGNINO
COMITI. DE. FLORIDABLANCA
REGNI.PRÆSIDIO.ET.ORNAMENTO
MURCIA. ADVERSUS. ALLUVIONES. PRÆMUNITA
BENEFICIORUM. MEMOR
CIVI. EGREGIO. P. P.
SERVATORI. QUE. SUO. DECREVIT
ANNO M.D.CC.LXXXVII.

Hispaniarum Regum, Burgis natorum,
Statuis IV. insculpta

INSCRIPTIO.

CAROLUS. III. AUG.
LAPIDEA. IV. PROGENITORUM
SUORUM. SIMULACRA
SENATUI. BURGENSI
DONO. DEDIT
IS. STRATA. SUIS. IMPENSIS
PROPTER. FLUVIUM. VIA
AD OPTIMORUM. PRINCIPUM
PROCREATICIS. URBIS. MŒNIA
GRATI. ANIMI. ET. PIETATIS. ERGO
COLLOCARI. CURAVIT
ANNO M.D.CC.XCVII
CAROLI. IV. CAR. F. IMPERII. X.